


Haldorsennius

Dende in poss. venit

[illegible]

Suis 1839 annumerat

[illegible]

1847 [illegible]

1869 [illegible] ad q.at J p.

QVINQVAGINTA
PSALMI
PASSIONALES

A VIRO PIO ET POETA CELEBERRIMO

DNO HALLGRIMO PETRÆO

LINGVA ISLANDICA OLIM COMPOSITI

NUNC VERO TOTIDEM ELEGIIS

QVAM PROXIME FIERI POTUIT

AD VERBA AUCTORIS ACCOMMODATIS

LATINITATE DONATI

PER

H. THEODORÆUM.



HAFNIE MDCCLXXXV.


TYPIS AUGUSTI FRIDERICI STEINII.

AD LECTORES.

Vos o! Caſtalidum decus immortale Poötæ!
    Qvos ornant ſuperum munera ſvada lepor;
Perlegite hæc animo mea paucula diſticha amico,
    Qvamvis exiguo tincta lepore ſuo.
Vilia ſæpe ſolent et inaffectata placere
    Ingeniis claris, ingenuisqve viris.
Dictio qvos perplexa movet ſublime volantum
    Offendi nolint ſimplicitate mea.
Alteriusqve putent, qvanti velit eſſe laboris,
    Et preſſe et ſcite plurima verba ſeqvi.

WALTHÖFSTADIS
in Toparchia Mülenſi
1784.

H. Th.



ERUDITORUM IN PATRIA VIRORUM

DE HAC

PSALMORUM VERSIONE JUDICIA.

Hos elegos vidi devotæ cantica mentis,
Qvi ſe commendant dexteritate ſua.
Fac non exæqvent Petrææ oracula venæ,
Semper at egregium ſunt pietatis opus.
Fac hi nec tumeant verborum ſyrmate inani,
His tamen invenies numen ineſſe ſtrophis.
Delectent alios thyrſi veneresqve profanæ,
Sed me delectant aurea verba crucis.
Nam me ſalvabunt aurea verba crucis.

HOLIS
1778.

HALFDANUS ENARI,
SCHOLÆ HOLANÆ RECTOR.



ALIUD.

ALIUD.

Eximios boreæ dedit hæc Islandia vates,
Qveis patet HALLGRIMUM præripuiſſe decus:
Multa qvidem ſcripſit, nulla qvæ laude carebunt,
Hoc opus at reliqvis præſtat, et arte cluet.
Hocce ſenes juvenesqve terunt, poſcuntqve legendum;
Hocce domus qvævis flagitat, ardet, amat.
Hoc clari pietate viri, dotesqve ſecundæ
Vertere contendunt; ars ſua qvemqve juvat.
Exſolvunt illi numeros proſamqve retentant,
Hi latio donant auſoniaqve lyra,
Hos inter nobis latiali tincta lepore
HIORLEVI confert verſio dulce melos.
Exprimit hæc ſenſum lepide juſtoqve nitore,
Materia verbis conveniente ſuis.

Huncce tibi venerande senex de corde laborem
Gratulor, in tarda qvi gravitate levat.
Christicolas hæc sancta decet meditatio, plusqvam
Omnia qvæ mundi fluxa theatra vide[illegible]
Ergo opere hocce tuo multum delector, amice!
Unde decus patriæ lausqve petenda Dei.

MIDFELLI
pridie Cal Augusti,
1779.

PAULUS JACOBÆUS,
SCOLÆ SKALH. CONRECTOR.



PROLE-

PROLEGOMENA.

Surgite, mens, animus, cor, lingva volubilis et vox!
Paſſio nam Domini jam meditanda venit.
Mente Dei mortem contrita volvere acerbam
Res monet, hanc Paulus commemorare jubet.
Optabat Jeſus pro me ſufferre labores
Mortiferos, probrum, vulnera, vincla, crucem.
Qvam vellem tanti memor eſſe favoris, et ejus
In laudes lingvæ ſolvere plectra meæ.
Ehev! ſera ſubit me nunc contritio tandem,
Paenitet ingratum tamqve fuiſſe diu.
Plurima paſſus erat pro me triſtiſſima Jeſus,
Qvæ nimium raro ſunt meditata mihi.
Victima grata qvidem venit hic ſpectanda, Deus qva
Propitiatus erat, qva mihi parta ſalus.
Triſtitiam mentis melius qvid diſcutit ægræ?
Scandala qvid melius compede vincta tenet?

Qvid peccatorum citius ſuflaminat æſtum,
Qvam ſpecies paſſi ſangvinolenta Dei?
Patris ubi æterni flagrantia viſcera amoris
Certius, in Chriſto qvam patiente, vides?
Hæc mea præterea dum commeditatur avena,
Talia funduntur ſeria vota mihi:
O Deus! affer opem ſancti ſpiraminis aura,
Cedat ut in laudem linea qvæqe tuam.


EXITUS CHRISTI IN HORTUM

ELEGIA I.

Cœnatus ſtatim poſtremo veſpere Jeſus
Laudabat ſummum voce ſonante Deum;
Conſortes menſæ ſimili pietate docebat
Diſcipulos Dominum concelebrare ſuum.
Hic peregrinatus ſummus regnator in orbe
Accepit grata mente manuqve cibum,
Jam vide qvid facias, pauper, miſer, indigus æris,
Qvi mendicato vivere pane ſoles,
Te pudeat ſervum nauci cervice ſuperba,
Qvæ data ſunt gratis, ſummere dona Dei.
Poſt decantatum (veluti conſveverat) Hymnum
Chriſtus oliviferi montis aprica ſubit.

Te

Te docet hic Jesus laudis adolere precumqve
Thura Deo, toties qvi benefacta tulit:
Sic sine præmissis precibus transscendere nunqvam
Adproperes tecti limina trita tui.
Chedronis post hac Jesus superaverat undas.
Nomen id a fusca lympha colore trahit.
Hæc mihi significant, qvod sic superare dolores
Cogar, et atrati nubila ferre poli.
Sæpe mihi nimium nimbosus surgit Orion,
Præcessit Jesus, me jubet ille seqvi.
Nunc oculis mentis cerno te svavis Jesu,
Regula nam vitæ sunt tua facta meæ;
Seditio fieret, nolebas, grandis in urbe,
Qvando tibi inferret turba scelesta manus.
Ergo suburbanum placide secedis in hortum,
Mox ubi captivus sponte futurus eras:
Hinc disco propria non utilitate moveri,
Publica pax ut sit vilior inde mihi.
Hacce via mærens ibas; ego lætus iniqvi
Criminis incessi (qvæ malesvada) via.
Sed tua mæroris via pervia jam via vitæ
Est mihi, qva possim scandere ad astra via.
Nostra hæc hortensis via vita miserrima tota est,
Hospitium tandem nos cava busta manent.
Ne facias erroris iter, nam tristis averni
Immodicas poenas, impia vita dabit.
Plorantes oculi rorent vestigia vitæ,
Qvæ datur in paucos forte fruenda dies.
Sic penetrans lethi lætus penetralia sævi,
Cælorum jam mox incola sospes eris.



Hoc iter ingressus Iesus prædixit alumnis,
Instare his lapsum nocte sequente gravem,
Ast animo Petrus nimium fidente regessit,
Punica me nunqvam polluet ista fides.
Crimina perspicue mea prævidet omnia Christus,
Prævidet et lapsus, qvæ medicina mei.
Semper, Petrus ait: contemtor mortis et hostis
Te seqvar, et tecum solus amicus ero:
O! spes fallaces, o! mentis inania cæcæ,
Viribus exiguis fidere velle suis.
Instabilis nostra et fallax constantia nutat,
Ni juvet auxilium, Christe benigne! tuum.
Thesaurus fidei fragili portatur in urna,
Qvod semper, qvæso, da meminisse mihi,
Est tibi debilitas carnis notissima nostræ,
Sit mihi dux nutus, spes mea Christe! tuus.

PASSIO CHRISTI IN HORTO.

ELEGIA II.

Gethsemane tristem Iesus intrabat in Hortum,
Torcular hoc nomen significare volunt.
Namqve ibi succosæ prelo subiguntur olivæ;
Egregium locus hic nomen et omen habet.
Arbor olivifera est Iesus, oleumqve salutis
Hic primo expressum corpore tinxit humum.
Adam, primus homo, primo peccavit in horto,
Christus in hoc horto qvanta molesta tulit.
Hortensis fructus prægnantes protulit arbor,
Crimina, mors illinc, et mala cuncta fluunt:

Hæc

Hæc alios fructus vitæ dedit arbor in horto,
Inde animæ reqvies summa, salusqve venit.
Proditor hunc hortum Judas bene noverat, illum
Insidiisque aptum credidit esse suis.
Abdita qvippe solent et devia idonea fraudi
Esse loca, in qvibus et sæpe susurro latet:
Persimiliqve modo pergit phlegetonteus angvis,
Insidiatur enim nocte, dieqve mihi.
Tempora nam circumspicit, et loca fraudibus apta,
Mille modis vafros nectat ut ille dolos.
Maxime ubi Domino sancte servire decebat,
Ex hoc melle mihi toxica dira parans.
Turba malignorum sic technas docta paternas
Ludere, mentiri, vel dare verba solent
Sed tamen has artes celant velamine fuci,
Dissimulant, simulant, tempore qvæqve suo.
A duce tartareo sobolisqve assultibus ejus
Custodit tutum me benedictatrias.
Sæpius in talem Jesus secesserat hortum,
Permeditans illic qvæ patienda sibi.
Sæpe patrem petiit votis ardentibus illic,
Ut sibi passuro tot mala ferret opem.
Horti sunt Domini vere monumenta piorum,
Qvæ loca devote sunt adeunda tibi,
Hic meminisse juvat, qvam pallida mortis imago,
Hicqve resurgendi Temporis esto memor.
Discipulos Jesus alios remanere jubebat,
Tres tantum reliqvos jussit adesse sibi
Est hortus Christi pugnans ecclesia, sed tu
Discipulus, sedeas, ille ubicunqve jubet,



Si crucis ad molem portandam te vocat, ito,
Qvicqvid vult Dominus, fit qvoqve velle tuum:
Si gravis infurgat, qvædam tentatio, folus
Ne fis, fed ftudeas te fociare piis,
Rebus in anguftis, tales folatia præftant,
Sæpius eft homini dulce levamen homo.
Conftriftabatur, niveos falvator et artus
Contremuit, frons ut vento agitata folet.
Nunc anima eft, inqvit, triftis mea mortis ad ipfa.
Limina, et orantes vult vigilare fuos,
Tum jactu lapidis folus procefferat inde,
Pronus et in faciem, procidit ille fuam.
Propria mens miferum, me nunc caftigat, aperte
Nam video tanti, qvæ tibi caufa mali.
Crimina funt eheu! Eheu! mea crimina, qvæ te
Vexarunt, nempe hæc omnia paffus eras,
Omnia paffus eras pro me, fanctiffime Jefu!
Qvam tibi damnofus, qvamqve moleftus eram,
Ach delicta mihi mea jam graviora videntur
Omnibus immenfo rebus in orbe fuo.
Namqve Patris verbum Jefus eft omnia portans,
Mole fub hac lapfus cernitur ille tamen:
Hæc eadem mihi funt mæfti folatia cordis,
Pax, animæ reqvies, anchora facra, meæ.
Infigne hoc lytrum, toto pretiofius orbe,
Prævalet in jufta jam qvia lance Dei.
Procumbens Jefus fervens orabat et inqvit:
Abba Pater! modo fac tranfeat ifte calix.
Non tamen hæc fiat mea, fed tua grata voluntas.
Hic faciendorum regula clara patet.

Mens

Mens humilis, labiumqve precans, contritio cordis
Rebus in adverfis funt retinenda tuis.
Murmura nam plures atqve impatientia poenas
Accelerant, mens eft fortis amica Deo:
Importuna nimis res non efflagitet unqvam
Lingva bonas, humili corde petenda bona.
Scit Dominus vitæ, qvæ funt accommoda noftræ.
Qvi videt hæc, etiam providet ille fuis,
Spiritus et corpus fubmiffo poplite junctim
Curventur Domino, cev venerandus Abram.
Hortenfis lacrymofa nimis tua paffio, Jefu
Hortulus eft animæ, deliciumqvæ meæ.
Nam tua mæftitia et penetrans anguftia cordis,
Mæfta tui populi corda dolore levat:
Intima fic mea te laudent præcordia femper,
Qvi mihi femper eris cordis amicus amor.

AGON CHRISTI IN HORTO.

ELEGIA III.

Feffus ab orando ter nofter furgit Jefus,
Difcipuli ftertunt, arguiturqve Petrus:
Ter furgens Dominus fopitos vifit alumnos,
Confugium fuerat nullibi, nulla qvies.
Ardens ira Dei circum volitabat ubiqve,
Offa, cutem, venas occupat ifta lues;
Nullam prodiderant coeleftia lumina lucem,
Offudit tenebras nox truculenta fuas;
Omnia mæfta filent, triftis filet omnis amicus,
Ceperunt illi molle foporis iter,

Exi-




Exiguum tellus etiam dedit alma levamen,
Undiqve et auxilium subtrahit illa suum.
Ecce gravis nimium qvam terreat astripotentis
Ira Dei, telis percita flamma suis.
Qvem ferit, huic totum nec celso culmine coelum,
Terra nec auxilium florida ferre valet.
Absqve Deo nihil est, nisi desperatio, terror,
Damna, dolor, rabies, et furiale malum.
Constat et hinc diro, qvam, qvi torqventur in orco,
Sit damnatorum poena cruenta satis:
Vexantur qvoniam, plagaqve vagantur ab una
Ad centum reliqvas, lux ubi nulla datur.
Sicut in igne globus fumo volvuntur in atro,
Nulla salus illic, nec venit ulla qvies:
O! qvam terrificum, qvam detestabile crimen,
Talia qvod potuit commeruisse mala:
Deniqve præprimis discas, qvam floribus uber,
Qvos fructus Christi passio sancta tulit;
Hæc iræ Domini flammas exstinxit, et una
Propitium nobis fecerat illa Deum:
Omnia te angebant, Jesu! tibi cuncta molesta,
Ut mihi solamen, singula dulce ferant:
Mæstitiæ ducunt tua me vestigia qvæqve
Incolumem recta ad regna beata Dei:
Umbrosæ fuerant tenebræ tibi causa doloris,
Luceat ut Domini lux speciosa mihi.
Præstitit auxilium nullus tibi fidus amicus,
Ut Deus ipse mihi præstet amicus opem.
Tandem cum diro Jesus luctatus Agone est.
Hac meus est factus nocte salubris Ago:

Vicit

Vicit io! Deus hic, nostra hæc victoria facta est,
O! mala mors! vires succubuere tuæ.
Taliter incessit rabidæ vis turgida mortis,
(Res est exempli nescia et illa paris)
Sangvineo Christi totum sudore madebat
Corpus, et hunc fusum sicca bibebat humus.
Lapsus Adam sevit crimen mortale, cruentum,
Diris devota est herbida et inde parens;
Sudor in hanc Christi patientis et ille cruentus
Decidit, hinc diris illa levata malis;
Jam fructus, segetes, flores, qvæqve omnia profert,
Qvotidie nostris usibus apta dicat.
Frigidus hev: tandem sudor qvando occupat artus
Mortifer ille meos, claustra animæqve labant:
Sangvineus tuus hic sudor, sanctissime Jesu!
Mitiget hunc, placida et da mihi morte frui.
Terribiles animam sudores tristis averni
Exagitent nunqvam, discrucientve meam.
Est dolor ille tuus fixa mihi mente repostus,
Qvælibet hunc animo suggerit orta dies;
Te supplex celebro, te, Jesu! gratus adoro,
Protinus ut tellus est mihi tacta pede:
Rebus in angustis cor mæstum transit in hortum,
Christe! tuum, guttas sangvinis inde legens,
Hæc ego thura Deo qvando fragrantia libo,
Mox est delicti gratia facta mihi;
Grandis origo necis seriem minitata malorum
Cessavit, qvoniam cesserat ira Dei;
Ipse mihi Jesus cavit, mea nomina solvit,
Qvi desperato prorsus in ære fui.

Qvanto

Qvanto plus patitur, tanto ferventius orat
Christus, et in medio mortis agone calet;
Angelus inde Dei coelo delapsus ab alto
Insolitam Christo contulit ales opem.
Auxilii si forte Dei dilatio fiat,
(Ut dolor interdum macerat iste pios,)
Ingemina, geminaqve preces, suspiria mitte
Fervida, qvanto plus ferveat unda mali;
Crede, tui pater æthereus miserebitur, atqve
Suppetias veniet te patiente citas:
Angelus ut Jesum juvit, sic angelus ejus
Nos juvat orantes auxiliante manu,
Maxime ubi tandem fatales claudimus annos,
Lazarus exmplo comprobat ista suo.
Laus æterna tui semper celebretur agonis,
O! Jesu, qvantum terra polusqve patent,
Ille etenim fuerat nobis victoria vita, et
Nullo libertas interitura die.

COLLOQVIUM CHRISTI CUM APOSTOLIS.

ELEGIA IV.

Discipulos Jesus sibi tres elegerat, atqve
Jusserat, ut secum pervigilare velint,
Ast ubi pauxillum solus processerat inde,
Somno mox omnes obriguere gravi.
Hæc de te, Jesu! dudum prædicta fuere
Vatibus in libris commemorata suis,

Solus

Solus divinæ debebas torcular iræ
    Calcare, et tantum tollere ſolus onus,
Ne mea peccatis indormiat illa malignis
    Membrorum rectrix, mens vitioſa nimis.
O! Jeſu nolis ungvem diſcedere latum,
    Sed cura vigili ſemper adeſto mihi:
Tuta mihi reqvies nocturna eſt, ſi modo mecum
    Advigilas, omni hæc veſpere vota fero.
Diſcipulos ter adit Jeſus, Petrumque rogabat,
    Ut vellet ſecum pervigilare parum,
Hoc magis elangvens obtorpuit ille ſopore,
    Novere et reliqvi nec ſua dicta ſatis.
Floriferum qvondam Jeſus me induxit in hortum,
    Ut vigilans facerem, qvæ facienda jubet,
Hoc mihi baptismus, ſacri qva aſpergine fontis
    Tinctus eram nuper natus, abunde probat.
His annis teneris inſcitia turbida ſenſus
    Obtinuit, qvantum perdidit iſte ſopor!
Diſciplina mihi tum profuit æqva parentum,
    Excuſſit ſomnum, qvæ mihi ſæpe gravem:
Nunc ubi ſe paulo maturior obtulit ætas,
    Cæperuntqve anni multiplicare dies,
Laſcivus nimium pruritus ſe intulit una,
    Atqve ſoporiferum ſubdidit ille melos.
Tum vigilum Chriſti, proclamans voce ſonora
    Nutanti, dixit buccina, ſurge, mihi
Tandem ſuccreſcens artus ſopor altus habebat,
    Sirenum viſa eſt muſica blanda nimis;
Hinc mundanus amor, langvor pietatis apertus,
    Neglectusqve precum cauſa ſoporis erant:

 Sæpe



Sæpe qvidem movit me ſancti flaminis aura,
    Et jubar irradians intima cordis agri:
Hæc contra fatuo torpebam ſæpe veterno,
    Ut fuerit moniti vix mihi cura Dei;
Hev! qvam cæca fuit, mea tunc veſania qvanta
    Qvæ mihi pænarum cauſa pudenda fuit:
Attamen haud ceſſes, o! clementiſſime Jeſu!
    Nutu perpetuo me revocare tuo,
Sive mihi monitum dederis affamine blando,
    Sive velis virgis me lacerare tuis.
O! qvam nunc vellem tecum vigilare libenter,
    Spiritus eſt promtus, ſed maleſvada caro.
Diſcipulos Jeſus, ſivit dormire parumper,
    Indulgens illis, (ſic mihi ſæpe facit).
Ut tandem veniens acies armata machæris,
    Inſtitit, orantes evigilare jubet;
Proditor haud procul eſt, inqvit, ſopor omnibus abſit;
    Hortamenta tibi talia dicta putes:
Hoſtis adeſt homicida, celer ruit orbita fati,
    Et brevis eſt multis mortis aperta via:
Judicium mortem ſeqvitur, tempusqve tremendum,
    Cum ruet excelſi machina rupta poli,
Jam draco tartareus ſuffuſus lumina flamma
    Inſeqvitur fallax, abſit ab ore ſopor:
Qvotidie vigilans defleto crimina, et omnis
    Armatura Dei ſit capienda tibi;
Semper in orando vigiles, oratio namqve
    Contritis aperit coelica regna Dei:
Impendent etiam tentamina grandia, qvorum
    Obtuſa infringit ſpicula cura precum.

Auditus

Auditus viſus expers, caſſumqve loqvela
    Exanime eſt corpus, ſic anima abſqve prece.
Da vigilem tecum, Jeſu dulciſſime! mecum
    Fac vigiles, vigil es tutus abunde mihi:
Mens, animus vigilent ſopito corpore, et illis
    Pervigil excubiis proſpice, Chriſte! tuis.

ADVENTUS JUDEORUM IN HORTUM.

ELEGIA V.

Hæc Jeſu dicente ſuis, ruit improbus illuc
    Proditor, armatos ducit et ille viros;
Laternas calidasqve faces ſtrictasqve machæras
    Ordinis attulerat, turba miniſtra ſacri.
Sæpius eveniunt inopina pericula multis,
    Unaqve nox raro tuta venire ſolet;
Hæc meditanda omnis ſunt ſub primordia noctis,
    Atqve petende piis intima cura Dei,
Sic tuti poterunt larvas contemnere noctis,
    Advigilante Deo terror inanis erit.
Hoc unum ſociis Judas ait eſſe notandum,
    Cui dederit labris oſcula blanda ſuis,
Funibus ut vinctus caute ducatur in urbem,
    Ne pereat prædæ gloria parta datæ.
O! qvantus furor hic Judæ et dementia qvalis,
    Exemplum fugiat, cui ſua cara ſalus:
Candida mens ſubſit, procul hinc fallacia technæ,
    Eſto procul fraus, mens inſidioſa, dolus,
Qvamlibet in tenebris ſerpat contagio talis,
    Ante diem veniet, forſitan ante diem.

 Even-



Eventura sibi prænovit singula Jesus,
Occurrit rabidis hostibus ille tamen;
Hostibus occurrens placide, quem qværitis, inqvit?
Hi nihil addubitant vera probanda loqvi:
Qværimus hic, ajunt, Jesum cognomine noto,
Qvi Nazarenus dictus ab urbe, suo:
Rettulit, ille ego sum; dicto velocius omnis
Ad magnam matrem martia turba cadit.
Qvicqvid, Christe! tuos armatos terruit hostes,
Erigit attonitum, cor, animumqve meum:
In me qvando Deus peccantem concitat iras,
Occinit hæc tua vox, o! Pater! ille ego sum:
Ille ego sum, talem miserum qvi morte redemi
Sangvinea, virgis hac vice parce tuis;
Intercessio qvæ Jesu mihi proderit, unde
Sistetur summi sævior ira Dei.
Infernus qvando serpens, mens, conscia, crimen,
Omnia me terrent, exagitantqve simul,
Ille ego sum dicis Jesu! qvi crimina tollo,
Cev nubes boreas spargit agitqve leves;
Si tua fundata est, in me fiducia constans,
Sublata hæc noxæ crede venena tuæ.
Si me paupertas, morbus, dolor anxius urget,
Ille ego sum, faris, qvi mala tanta levo;
Divitiæ, perfecta salus, jucunda voluptas
Te modo certa manent, et sine fine qvies:
Sic decedentem præscripta mortis in hora,
Postremo summi judiciiqve die,
Consolabuntur tua me, carissime Jesu!
Hæc verba, ambiguo pectora sole metu,

Ille ego ſum, tibi qvi coeleſtia gaudia dono,
Ut mecum ſervus vivat ovetqve meus:
Hinc igitur valedicturus terreſtribus ibo,
Extremum claudens lætus in orbe diem.
Hiſce tuis verbis, Jeſu bone! ſuccino, dicens,
Ille ego te venerans, te meus ardet amor:
O! utinam reſonans a te mihi concinat echo,
Ut dicas, redamo te ſimiliqve modo:
Iſta reciproca verba velim communia nobis
Perdurent hic, ſed perpetuanda magis,
Cum paradiſiaca victurus civis in aula
Te laudo jugi carmine, fiat, amen.

OSCULUM JUDÆ ET CAPTIVITAS CHRISTI.

ELEGIA VI.

Hoſtibus infractis Jeſus non aufugit inde,
Sed modo ſurgentes mitis ut ante rogat,
Qvem vos armati, capiendum qværitis, illi
Sed reſponſa dabant, qvæ memorata prius:
His contra Jeſus, ſi vos me qværitis, inqvit,
Diſcipulis liceat gratis abire meis.
Hic ſatis elucet Jeſu divina poteſtas,
Cujus erat nutu martia fuſa manus,
In qvem nil valuit rigidis furibundus in armis
Miles, et infeſto pectore bella gerens:
Inſurgat qvamvis in me vis hoſtica, Chriſto
Sic valet invito nec mihi damna dare.



Morigerus Patri Jesus se dedidit, et mox
Hostibus in prædam cesserat ille suis.
Sese impugnanti Jesus non restitit hosti,
Ergo rebellanti pax data sæpe mihi,
Sponte libensqve meus Jesus meå nomina solvit,
Qvæ me cunqve jubet sponte libensqve feram.
Mox Domino Judas falsi simulator amoris
Oscula dans, salve, care magister! ait;
Mansvetus contra Jesus respondit amice,
Cur venis. O! Juda? qvæ tibi causa viæ?
Tune hominis gnatum per svavia basia prodis?
Qvam male provenient oscula falsa tibi.
Eva semel pomum decepta admoverat ori,
Serpentis blandis illaqveata dolis,
Blanda igitur vafri simul ac fallacia Judæ
Oscula sint labiis addita, Christe! tuis:
Dæmonis illecebras et fraudes comprime mundi,
Ne fiant labiis mortifera esca meis
Et vitam famamqve meam, Pater optime! serva,
Hostis ut in vanum noxia tela cadant.
Lucida sunt oculis fraus et fallacia qvævis,
Christe! tuis, angve est hæc fugienda magis:
Dic tibi me carum, Jesu dulcissime! amicum,
Et mecum tanqvam verus amicus age:
Sæpe mihi fraudes struxit deterrimus angvis,
Qvi tenet astutis pectora læsa dolis;
Hostiles sensit fraudes hoc tempore Christus,
Hostis ne noceat fraus scelerata mihi.
Oscula libamus Jesu, convivia coenæ
Mystica cum Domini concelebrare licet;


Si

Si tibi cara ſalus, procul hinc ſimulatio fucus,
Hic cor contritum poſcitur atqve fides;
Namqve aliud verum eſt, aliud ſimulatio veri,
Vir cernit faciem, corda tenella Deus.
Mox effuſa cohors turbam glomeratur in unam,
Irruit, et Chriſto vincula fœda parat.
Funibus intortis ſtringunt titubantia membra,
Et vexant vinclis candida colla ſuis.
Te, Jeſu! nexis conſtrixit turba catenis,
Sed cui vinclorum buccina prima fui:
Nunc peccatorum, qvæſo, mea vincula ſolve,
Laxenturqve eadem ſortis acerba meæ.
Aſpera conſtrictum lacerabant vincula Chriſtum,
Hoſtica ſunt igitur vincla levata mihi.
Iſta tuo, Jeſu! circumdata vincula collo
Semper ſint animo vincula nexa meo,
Hæc mihi conſtringant artus atqve omnia membra,
Ut ſtricte vitem, qva patet omne ſcelus.
Spiritus at liber dum vividus hos regit artus,
Servitii ſubeat ſvavia vincla tui.

DEFENSIO PETRI.

ELEGIA VII.

Cernentes res ad ſummum veniſſe moleſtas
Diſcipuli, Chriſtum, qvæ facienda, rogant,
Nonne repellendam vim vi velit, inqve ſuperbi
Hoſtis convertant arma cruenta caput.
Qvicqvid agis, conſultus age, et perpende, priusqvam
Incipis, an felix exitus acta probet,



Sæpe inconfultum fuamet fvadela fefellit,
Et femel effectum non revocatur opus:
Aft humana omnis cum fit fapientia fallax,
Confilium tibi dent dogmata fancta Dei,
Hæc, qvid agas, et qvid fugias, certiffima dicunt,
Hæc tutam monftrant, et fine fraude, viam.
Vagina vacuum gladium collimat in ictum
Commotus Petrus, Malchus et inde luit,
Servo pontificis diftrictus defecat aurem
Enfis, at intactus cætera miles erat:
Difcipulos vetuit gladios vibrare modeftus
Chriftus, et ad Petrum mox ita verba facit:
Enfe nocens pereat qvisqvis diftrinxerit enfem,
Enfem nudatum, Petre! reconde tuum;
Credisne angelicas, cui parent omnia, turmas
Patrem fuppetias mittere poffe mihi?
Etfi bis fenas legiones pofcere vellem,
Ifte calix qvalis nonne bibendus erit?
Qvomodo perfectam vatum, monumenta facrorum
Poffe putas aliter commeruiffe fidem?
His dictis aurem fervi fanabat iniqvi
Solo contactu Chriftus amicus ei.
Duplicis hic gladii meminit Salvator, eorum
Unus erit, qvem fert judicis alta manus,
Alter, qvem proprio depofcit inutilis aufu
Ultio, qvam prohibet fummus in orbe regens.
Clare Magiftratus! qvi munere judicis æqvi
Fungeris eximio, pauca monendus eras,
Efto probus, mitis, fceleratos acriter autem
Comprime, et in tales utere jure tuo,

Nec-

Nec patiaris eos ſine ferro vindice inultos
Ire, ſed ut Moſes ſemina tolle mali:
At tuus in propria cauſa non emicet enſis
Evaginatus, lex vetat iſta Dei.
Eſt vindicta Dei, jus eſt ſimul illius omne,
Tu cave, ſurripias hæc ſua jura Deo;
Ille Magiſtratus ſtatuit, cuſtodibus iſtis
Armigeris gladium tradidit ille ſuum,
Qvo ſi neglecto qvis ſeſe ulciſcitur ipſe,
Vindice contemto forte peribit eo.
Præterea Malchus mutilata denotat aure
Omnes ſpernentes vivida verba Dei,
Talibus eſt qvoniam ſua dextera debilis auris,
Integra ſed nimis et ſalva ſiniſtra manet,
Irriſus, ſannas, apinas, ludibria, nugas
Auribus accipiunt et repetita tenent.
Hic inciſa fuit Malcho nota juſta vacerræ,
Talia perverſos peſſima ſigna notant;
Contemnunt Domini divini pabula verbi,
Qvæ cenſent caſſa non redimenda nuce,
Te, Jeſu! ſupplex votis inſtantibus oro,
Ne nota ſit qvando talis inuſta mihi.
Inſuper exemplum Chriſti memorabile diſcas,
Qvem plane obruerat ſæva procella mali,
Attamen auxilio Patris confidere certo
Cernitur, en fidei norma ſeqvenda tibi;
Indeſperatis (cum turbant omnia) rebus,
Nunqvam deſperes omnipotentis opem.
Dicitur a Chriſto ſibi traditus atqve bibendus,
Qvamlibet inſvavis paſſio tota, calix;

Sic tua poena, dolor, morbus, qvæqve omnia suffers,
    Dicendus merito, qvem dedit ille, calix;
Hunc pro te patiens tibi propinavit, eundem
    Ebibe tu patiens, ficut et ille bibit;
Eſt tua debilitas ipſi notiſſima, crede,
    Viribus infirmis condolet ille tuis,
Sic calicem caute miſcet, moderatur et illum
    Juxta menſuram, qvam vidit eſſe parem;
Sponte bibit Jeſus, qvævis acidiſſima, duplo
    Dulcior et minor eſt potio mixta tibi.
Fulgerat egregie tua mira modeſtia, Jeſu!
    Sanando Malchum, qvi tamen hoſtis erat
Indiget et langvens mea perſanetur ut auris,
    Audiat ut verbum relligioſa tuum.
Affer opem, Jeſu! crucis ut mihi qvælibet acris
    Infractus conſtans pocula mixta bibam:
Si qvando infirmas mihi forte labeſcere vires
    Cernis, et eglidam velle perire fidem,
Ach! miſerere, mihi lapſanti porrige dextram,
    Ne penitus tanto mergar in oceano.

ORATIO CHRISTI AD JUDÆOS.

ELEGIA VIII.

Inſtantes hoſtes Jeſus affatur, adeſtis
    Armis inſtructi, perfida turba mihi,
Audetisqve inferre manus ut forte latroni,
    Qvi prædas agitans impia facta luit,
Qvotidie in templo docui, violaverat autem
    Nullus ſacrilega me retinente manu,

Sed

Sed jam tempus adest vestrum, tenebrosa potestas,
Impleat ut verax sit sua verba Deus.
Ingenium patet hic Jesu, qvam mite, benignum,
Exemplumpve docet grande modesta seqvi;
Omnia Judæis tulerat benefacta protervis,
Gens habuit cuculi schema sed ista mali:
Nil mirum, qvamvis mundus benefacta pusilla
Ingrata accipiat mente manuqve, mea.
Hostica vis potuit, Jesu! tibi nulla nocere,
Evictas dederis tu uisi sponte manus,
Temporis hoc punctum fixum Pater orbis et ævi
Præstituit, qvo te vellet id omne pati,
Principium finemqve mei mæroris acerbi
Sic qvoqve constituit, qvi regit omne, Deus.
Vestrum tempus adest, Jesus latronibus inqvit,
Sæpius hæc eqvidem sunt meditata mihi;
Tempore me manet hoc Domini patientia summi,
Namqve est æterni dives origo boni;
Qvod dedit hic tempus siqvis neglexerit, illi
Sperandum est tempus, spes ubi nulla boni:
Mitior hic qvanto, qvantoqve diutius ista
Spernitur immensi gratia summa Dei,
Tanto poena venit vehementior, ultio tanto
Acrior, ut vitæ janua clausa fuit:
Per numen nomenqve Dei, mea flabilis aura
Vitæ, te moneo, desine prava seqvi,
Dudum tempus adest, qvo poenituisse decebat,
Tempus qvo flectas ad meliora viam;
Hoc igitur resipisce die, nam nescis amica
Gratia an hæc pateat nocte seqvente tibi.



Tangitur hic etiam, tenebrarum imbrosa potestas,
Ista, Magistratus! sint, bone, dicta tibi;
Instabilis nimium qvam sit mundana potestas
Perspice, et attrahito turgida vela parum:
Dissipat ut tenebras lux fulgida lumine densas,
Zelus ita exstirpet facta scelesta tuus:
Sordebit tua mox umbratilis illa potestas,
Umbriferam qvando mors jubet ire viam:
Cernitur extremis nullum discrimen in umbris
Magnatum, pravos umbra sed una tegit;
Est umbra levior tua gloria, gloria qvando
Summa Dei vivi splendit in arce poli.
Qvandoqvidem tenebris est assimilata potestas
Mundana, esto fides ejus ut umbra levis;
Est infida fides, qvam præstant sæpe potentes,
Qveis fidas nimium cautio fida vetat.
Adsis umbrivagi, Jesu! lux splendida mundi,
Atqve Magistratus dirige luce tua
Semper ut illorum splendor virtutis, et usus
Justitiæ, radians phæbus ut alter eat.
Passus es, o Jesu! mihi venerat inde levamen,
O! qvam felices plausibilesqve vices,
Te semel afflixit tenebrarum dira potestas,
Orci, ne noceat vis tenebrosa mihi.

FUGA DISCIPULORUM.


ELEGIA IX.

Ut captum vinctumqve suum videre magistrum
Discipuli, cedunt præcipitante fuga.

Frustra

Frustra suppetias hominum sperabimus ullas,
Si non suppetias fert manus ipsa Dei,
Sit fortuna tonans, et opem sors aspera poscit,
Crede mihi qvisqve est proximus ipse sibi:
Caute igitur vivas etiam ipsos inter amicos,
Sæpe vacillat enim lubrica amica fides.
Sentio jam qvanto mea sors sit tristior horum,
Qvi fugiunt Christo non prohibente fugam;
O! qvoties a te, Jesu! nolente refugi,
O! qvoties lata est hæc via trita mihi,
Cum propriis mea mens pravis affectibus amens
Parebat, profugus castraqve in hostis eram,
Sic merui profugus fieri phlegetontis ad ima
Tartara, sed juvit me miserere tuum:
Solus es in turmis hostilibus ergo relictus,
Cogar ne ærumnis solus inesse meis,
Deseruere omnes te, me soletur ut omne,
O! Jesu, fac sim nullibi solus ego.
Sed puer ille seqvens Christi vestigia in hortum
Discipulus, paucis commemorandus erat,
Linea qvem vestis, saltem contexit, eundem
Et pueri captum detinuere mali,
Hic veste abjecta, nudus defugerat, ipsi
Nam vita vestis vilior illa fuit.
Præstabit, vacuus fugias et nudus ab hoste,
Qvam te famosis associare viris.
Inde cito vinctum per muta silentia noctis
Abduxit Jesum flagitiosa manus.
Qvam graviter Christum crudeliter atqve tyranni
Tractabant isti! qvalis et ille furor!

Jacta-



Jactavit, traxit, vexavit et exagitavit
In tenebris Dominum gens ſcelerata ſuum:
In tenebris mortis vinclis conſtrictus iniqvus
Servus, et ad mortem jure trahendus eram,
Sed qvia mortis iter Chriſtus calcabat apertum,
Eſt via jam vitæ pervia facta mihi,
Haud trepidans igitur mortem mortisqve dolores
Præmeditor, lætus mortis iturus iter.
Te, Jeſu! qvoniam ſic durus jactitat hoſtis,
Et per ſangvineas raptat agitqve vias,
Ales ab excelſo rutilans demiſſus olympo
Me feret in manibus, te moderante, ſuis:
Tu ſemel in tenebris agitatus es, ut mihi clarum
Splendeat ætherea lumen in arce Dei;
Idqve iter umbroſum, qvod erat tibi cauſa dolorum,
Eſt mihi perpetuæ ſvave ſalutis iter:
Tale iter ut poſſim contendere tramite recto,
Hoc et inoffenſo continuare pede,
O! Jeſu cohibe vafras cacodæmonis artes,
Ne me captivum in crimina fæda trahat.

PRIMUM EXAMEN CHRISTI CORAM CAIPHA.

ELEGIA X.

Jam primo ducunt ad celſa palatia Jeſum
Hannæ, ubi defeſſo non data longa qvies,
Sed mox ad triſtes Caiphæ deducitur ædes,
Hannæ percelebris nam gener ille fuit,

Jure

Jure sacerdotis, gaudens hoc tempore summi,
Audacis miscens fasqve nefasqve manu.
Expulsus fuerat Jesus ex ædibus Hannæ,
Qvæ bona qvis dicat, nulla dabantur ibi:
Ire relegatus coelestibus exul ab aris
In loca promerui, nulla ubi tuta qvies,
Irreqvietus ea, Jesu! sed nocte fuisti,
Æterna in coelis ut reqviete fruar:
Jam cor atqve domus mea sint nocturna diurna
Mansio! qvam pauper, dives amice tibi,
Si crucifer venias, venias optatus, et esto
In cruce solamen solus et omne meum
Consilium dederat Caiphas, moriatur ut unus
Pro toto populo, vivat ut ille, suo
Spiritus officii dictasse hæc creditur illi,
Ignaro qvalis decidit ore sonus,
Exemplum Bileam par suggerit, ille propheta
Vix melior, nolens commoda dicta dabat,
Captus avaritia novit qvæ dicere vera
Dicere vix voluit, cæcus et alta videns:
Spiritus æterni coelestis numinis aura,
Fac Deus! et sensus, et mea verba regat,
Ut mens, lingve simul falsi simulaminis expers
Te mea magnificet, laudet, adoret, amet.
Cum Caipha præsens cœtus convenerat omnis,
Nempe sacerdotum turba perosa Deum,
Summus et antistes, Christum pro munere claro
Qvid doceat, qvales discipulique rogat;
Cui responsa dedit Jesus: ego semper aperte
In templo docui, vestra ubi secta fuit,

Hæc



Hæc qvid me rogitas, ſed qværas, quos ego paſſim
Edocui, dicant, qvæ tibi dicta cupis.
Veſpere noctifero ſubiit examen Jeſus,
Tale qvid ut facias, ſæpe neceſſe puta,
Qvolibet excutias et qværas veſpere ſero,
Elapſa fuerint qvæ tua facta die,
Veſpertina dein contritio vera ſeqvatur,
Qvisqve ſalutaris ſic tibi veſper erit.
Et veniet tempus, qvando, Divine Sacerdos!
Reddenda eſt ratio muneris arcta tui,
Qværendus qvænam docuiſti, et qvaliter illa,
Et de diſcipulis verba ferenda tuis.
Qvos, te ſecuro, qvis devius abſtulit error,
Hæc tempeſtive præmeditata velis;
Fac ſit ſermo tuus, penetrans, ſincerus, apertus,
Perpetuo ſonitu cev reboante tuba;
Cæcus adulator, blandus paraſitus, et omnis
Edicens cordi diſſona verba ſuo,
Seducens animas, Domini violator honoris,
Accipiet meritis digna flagella malis,
Innumerus, fateor, meus eſt defectus et error,
Parce, precor, Jeſu! parce benigne mihi:
Tu perfectus eras, meus hic defectus et ergo
Sit tectus, famulis affer opemqve tuis.
Omnibus hic etiam pia regula traditur, ut ſint
Illis verba Dei dux, cynoſura, canon,
Illa fidem gignunt, genita generabitur illa
In factis pietas, officioſa bonis.
Infando Chriſtum pulſabat verbere ſervus,
Reſponſum contra mite ſed ille dedit.

Proto-

Protopatri grandes alapas mens confcia pravi
Inflixit merito tartara ad ima reo,
Erubuit, tactisqve genis fuffufa pudore
Mens hæfit, nuper lapfus ut ille fuit,
Hinc Jefus colaphum patitur plagæqve ruborem,
Jam nuper factus præda cruenta viris.
O! Jefu! mala qvi perpeffus es omnia, tollant
Omnia, qvæ vivunt, nomen ad aftra tuum,
Vulnera mulce animæ male fanæ, et tolle ruborem,
Qvem mihi fubdiderat fcorpius ungve ferox.

ABNEGATIO PETRI.

ELEGIA XI.


Difcipulos dixi capto fugiffe Magiftro,
Sed procul hunc Petrus pone fecutus erat,
Petrum Difcipulus qvidam comitatur et alter,
Et merito Jefum deflet uterqve fuum:
Pontificis prior hic intrat fibi limina nota,
Permiffu fervæ, Petrus et illa fubit.
Collibet, o! Jefu, tua nunc veftigia preffe
Sancta feqvi, tardi fed miferere mei,
Qvamvis et procul, et lento pede fubfeqvar, aut fi
Impatiens animus claudicet atqve fides,
Debilis ut vento jactata vacillat arundo,
Erige, confirma me relevante manu.
Frigus erat, prunasqve focis fumantibus illic
Servi fubdiderant, igne levantqve gelu:
Hic Petrus exfpectat, qvem cœpta tragœdia finem
Effet de Domino tandem habitura fuo;



Sic ſtantem fixis quædam conſpexit ocellis
Serva levis, jamque hos fundit ab ore ſonos:
Hicce, puto, fuerat Jeſu comes improbus unus
Nazarei, pavidus Petrus at iſta negat,
Queis dictis cecinit ſurrecto vertice gallus,
Jamque negans parat hac triſtis abire domo:
Altera mox eadem repetivit verba miniſtra,
Et repetit Petrus verba neganda ſua:
Nunc quisquis rogitat, tune es, tune unus eorum,
Nazereo duce quos unum agitabat iter?
Ille metu trepidans hæc pleno pernegat ore,
Dictorum teſtem provocat atque Deum,
Addiderunt quidam: ſermo Galilæus aperte
Te prodit nobis, et dialectus iners,
Agnatus Malchi ſuper ingerit: anne videbam
Te capto Jeſu præſto fuiſſe tuo?
Horrendum tandem Petrus per numina jurat,
Hunc ſibi conſpectum non ſemel eſſe viſum,
Et ſtatim cantabat avis præuncia lucis,
Omnia ceu Chriſtus vaticinatus erat.
Imminet exitium mille et diſcrimina vitæ,
Ni tibi ſint Domini vivida verba duces,
Ne caput attollas faſtu ſublime ſuperbo,
Inſtabilis namque eſt viribus orba caro.
Qvi ſe præcipitans in aperta pericula mittit,
Fatali lapſu ſæpe repente ruit.
Intrepidus nuper Petrus pugnabat in horto,
Et caput in caſus mille daturus erat,
Jam leve mancipium verbis conterruit illum,
Atqve ſecuturi cauſa doloris erat,

Deni-

Deniqve et erroris ſpiſſa caligine merſit,
Talia crede uſu poſſe venire tibi.
Eſt ſimilis flammis tremulis vitioſa voluptas,
Oblectans carnem, ſed metuenda piis,
Perdita gens ſceleratorum concurrit ad iſtas,
Inflavit flammas qvas mala Diva Paphi,
Hos cave cev peſtem peccati gurgite merſos,
Vel cum perverſis forte peribis eis.
Serva procax patulo ſpargens de gutture ſannas,
Pravorum dici putida lerna poteſt;
Sæpe cavillatur Chriſti truculenta miniſtros,
Ad qvodvis pernix ore manuqve ſcelus.
Poſt primum lapſum Petrus ceſſurus ab aula
Incidit in majus, dum fugit ipſe malum,
Nam circumdederat trepidum, violenter et inſtat
Perculſo ſtygii turba miniſtra lupi.
Proclive eſt multis funeſta pericula adire,
Qvidam præcipites in ſua damna ruunt,
Qvem laqveus tenet hic, fere inextricabilis illum
Diſtinet, hic morbus mortifer eſſe ſolet.
Sæpe virum prodit ſermo qvis qvalis et ille,
Eſt nota perverſi frivola multa loqvi;
Diſcipulus Chriſti tam celſo a culmine lapſus
Indicat exemplo, qvæ metuenda mihi,
Qvem tenet aſſidue ſecura incuria, contra
Tot pugiles hoſtes qvomodo tutus ero?
In mundo immundo verſor, mihi ſæpius inde
Deveniunt lapſi triſtia ſigna pedis,
Et nutant carnis vires: tuus, optime Jeſu!
Spiritus illuſtrans me regat atqve tegat!



PÆNITENTIA PETRI.

ELEGIA XII.

Subſtiterat Petrus fumoſa in præſulis aula,
Cantarat volucris bis quoqve martis avis,
Ter Petrus Chriſtum pavidus negitaverat, atqve
Dictorum teſtem fecerat ille Deum,
Tum ſe convertens ad eum reſpexit Jeſus,
Converſus monito fiat ut ille ſuo:
Mox animum lapſi ſubeunt, qvæ Chriſtus in horto
Dixerat, illacrymans egrediturqve domo.
Cordibus in noſtris gallus cantare videtur,
Qvando gravis mentem culpa patrata movet;
Conſcia mens hominem ſceleris diſcrimine tactum
Exagitat ſtimulis, arguit atqve premit;
Nec ſpes libertatis ei, nec gratia, ſed jam
Vertitur, ut laqveo capta repugnat avis;
Emerget nunqvam propriis ex gurgite tali
Viribus, exſurgens labitur ille magis:
Clamat lex Domini vel ut altera cantio galli,
Detegit et ſordes criminis illa putres:
Hæc mentem torqvet, lapidat, diverberat, urget,
Pondere ſed nullum criminis illa levat:
Hiſce caro petulante recalcitrat impia niſu,
Hinc ceruſſatus fucus, et inde dolus:
Aſpectus Jeſu ſacri ſpiraminis auram
Denotat, exhilarans flatus et ille beat,
Ille finit legem primo terrere tonantem,
Poſtea ſolando pectora mæſta fovet:

Ille

Ille fidem donat, lapſantes erigit ille,
Implicitos morbis ſanat et ille ſuis:
Idem luctificum perfringit carceris antrum,
Subvenit et vinctis, vincula laxat eis.
Non opis eſt propriæ, commiſſæ tædia noxæ
Præſtare, aut fidei juſtificantis opus;
Laberis ut Petrus, propenſi numinis auræ
Attribuas, detur ſi metanoia tibi:
Deſipit hev! nimium, qvi ſe putat eſſe moleſta
Eluctaturum ſingula, qvando velit.
Aſpectu Jeſus ſi te dignatur amico,
Hunc oculis gratis reſpice et ipſe tuis;
Fletibus ora rigans deleto crimina acerbis,
Et tua ſit Chriſti ſangvine nixa fides:
Exuere ingenium, et pravos dediſcere mores
Diſcito, ſic veniæ ſpes erit ampla tuæ;
Pænitüiſſe parum prodeſt, ſi pergis ad atras
Ante eructatas inde redire dapes.
Agnoſcens Petrus lapſum, deſugit ab aula
Infami, monitum qvod dedit ille tibi.
O! Jeſu, pavidum placido me reſpice vultu,
Qvod morbis animæ eſt certa medela meæ:
Qvando, qvod nimium, nimium ſæpe accidit, erro;
Me moneas nutu commiſerante tuo.
Ad te ſuſpicio ſæpe, o! mitiſſime Jeſu!
Irriguis oculis, ſorte tonante, meis,
Ad me reſpicias oculis clementibus, unde
Aſpiret velis aura ſecunda meis!



ALTUS JUDICIALIS CAIPHÆ.

ELEGIA XIII.

Inde Sacerdotes satagunt nullo ordine cœptum
Juris processum continuare suum;
Putida sp'rantes ergo mendacia testes
Quærunt, qui dicant, quæ modo dicta velint;
Sed quæ testantur, sibimet contraria dicunt,
Corrupti testes, Christus ad illa silet.
Si te lingva procax mendaci lancinat ore,
Et falsi fontem criminis esse facit,
Præcave, ne fervens irarum fluctuet æstus,
Lingvaqve præcipitet verba superba nimis:
Sæpe bonam causam læsit petulantia stulti,
Sedavitqve iras lingva modesta silens.
Nulla injusta a te vel dicta, vel acta sit ungvam
Causa fori, lanx est judicis ægva boni.
Splendida sæpe vomens mendacia lingva peribit,
Et petulans animam denecat ipsa suam.
Judice qvando Deo veracibus arguor olim
Testibus, effugii spes erit ista mei,
Læserunt Jesum conficto crimine testes,
Testata ergo mihi crimina nulla nocent.
Adjurans Jesum Caiphas violentius urget,
Ut dicat, si sit filius ipse Dei,
Omnia qui primum verbo spirante creavit,
Et simul æterno numina cuncta regit:
Christus id affirmat, certo prædixit et illi,
Postea spectandum semet in arce poli:

Fer-

Fervidus hic zelo, vestes lacerare sacerdos
Cœperat, ut tumido suggerit ira viro;
Hæc, ait, est ingens blasphemia, dicite, vobis
Quid visum fuerit, nonne ea causa necis?
Respondent omnes, fuit hæc vox omnibus una:
Hic dignus morte est, hoc capitale scelus.
Christus, qvi tacuit prius ad mendacia tetra,
Audito Jovæ nomine verba facit;
Sic tibi cura tui semper levis ipsius esto,
Nominis at magni maxima cura Dei:
Qvæsitus constans profer veracia verba,
Pulvereiqve minas, verbaqve sperne viri.
Nunc Caiphæ multis consveta est dictio juris,
Qvi modo, principibus qvæ placuere, probant;
Sic fugat Astræam Magnatum flabilis aura,
Ut sit ei passim prorsus operta via,
Sed mihi sunt eadem, tibi qvæ solatia, Jesu!
Me qvando, ut solitum est, crux onerosa premit,
Nempe qvod in dextra Domini post funera spero
Tempore in occiduo secula læta dari.
Concilii unanimis statuit sententia mortem,
Christe! tuam, sic est vita statuta mihi;
Æternas posthac grates qvæcunqve medulla
Pectoris ergo mei dicat agatqve tibi!

SERVORUM LUDIBRIA IN CHRISTUM.
ELEGIA XIV.


Jam somni genitrix populo nox ingruit atra,
Jamque Sacerdotes membra qviete levant,



Sed Christus servis datur observandus iniquis,
In qvem tunc sannas evomuere suas,
Qvorum alternatum dicteria cruda, cavillas,
Sordida sputa, alapas, verbera sæva tulit.
Cernimus hic Jesum, cunctis animantibus alta
Qvi reqvie dederat nocte silente frui,
Ipsi defesso, jactato nox ea tristis,
Horrida, pervigil ac irreqvieta fuit.
Sæpe mihi nocturna qvies, placidiqve soporis
Gratia dia data est, langvida membra fovens,
Acceptum refero tibi, qvod, dulcissime Jesu!
Inqvies hic fueras, hinc mihi facta qvies.
Qvando crucis mortisqve mihi nox fulva propinqvat
Sit mihi lux vitæ nox tenebrosa tibi:
Dæmonis insultus, scuticas mentisqve malignas,
Et mortis rabiem, comprime, tolle, fuga.
Omnibus, et merito, diris jam devovet illos
Furciferos hominum plurima turba malos,
Fecere afflicto qvi tot ludibria Christo,
Addentes verbis verbera crebra suis;
Sed tamen his similes, qvidam spectantur, atroci
Ingenio, genio, qvolibet atqve modo:
Qvid faciunt, ludos faciunt qvi dogmata Jovæ,
Impietas qvorum pectora cæca tenet,
Et maculant fædo nigræ loliginis æstro
Spargentes verbi semina pura Dei:
Gratia qveis Domini, sacraqve volumina legis
Et via coelorum cognita tota patet,
Attamen æmonias artes et carmina Circes
Pertractant, tales poena decupla manet.

Serva

Serva cohors Caiphæ Chriſtum non noverat, ergo
    In vinctum lingvas exacuere ſuas:
Sed qvi Chriſtianos ſimulant, atqve orgia vivunt,
    Chriſto maſtigas qvis neget eſſe magis;
Sic et hypocritæ erunt, fidei qvi tegmine velant
    Ambiguum pectus mellea felle gerens,
Hi ſimiles illis, faciem velamine Chriſti
    Qvi tectam plagis impetiere malis;
Nunc irriſores, miſeros qvi ludere gaudent,
    Maxime in hanc ſcenam poſſe venire puto,
Pauperis atqve pii qvoniam contemtus ad illum
    Spectat, qvi miſerum finxit in oſſa virum,
Qvis vilem ſervum poenas neget eſſe daturum,
    Qvi luſit gnatum, patre vidente, pium,
Qvalia ſuſtulerat nocturno hoc tempore Jeſus,
    Vexatus verbis verberibusqve ſimul,
Talia et a colubris diri cenſentur averni
    Semper damnatis perpetienda viris.
Ignotum miſerum caveas deludere, namqve
    Ignoras, qvalem ſqvalida ſcruta tegunt.
Conſcia mens tandem mea nunc me pungit eorum,
    Namqve irriſorum pars ego magna fui.
Me miſerum! qvoties peccati ſemina jeci,
    Et metuo meſſis tempora mæſta nimis:
Corporis atqve animæ triſtis tua paſſio, Jeſu!
    Corporis atqve animæ eſt, certa medela meæ;
Semina juſtitiæ jeciſti florida, fructus
    Provenit hinc multus, publica noſtra ſalus.
Me tuus effuſus guttatim ſangvis ab omni
    Labe lavat, lympha qva bene lotus ero.



Facta tibi qvævis irrisio gloria nostra est,
Qvæ turos stygii præstat ab ungve lupi;
Ergo tuas laudes celebrabo criminis osor
Omnis, et adspirans ad bona qvæqve simul.
Aspira, o Jesu! nostris conatibus illis,
Et, bene qvod cæptum, fac, bene vertat opus!


CONTINUATIO CONCILII JUDAICI.

ELEGIA XV.

Luce nova repetit comitia fœda senatus,
Ut possint tinctas sagvine ferre manus;
Adduci Dominum faciunt, qværuntqve minanter,
Es Christus Jova progenitore satus?
Respondit Jesus: qvamvis veraciter illud
Edicam, dictis non erit ulla fides;
Nec si qvid qværo, responso tangitis ullo,
Omnia sed surdis auribus ista cano:
Me tamen a dextris Jovæ spectabitis olim,
Nubibus inqve altis sede coruscus ero.
Sub juga mortis eat, clamant, vinctumqve Pilato
Tradunt, qvi Solymæ dux latialis erat.
Hinc sceleratorum solers industria constat,
Qvi vigilant, studiis invigilantqve suis;
Consilia aurora prima sua callida fingunt,
Et pingunt roseo sæpe colore strophas,
Sed tu, qvi Domini lectus vis servus haberi,
Et debes animæ damna cavere tuæ,
Cerneris ach! lento nimium torpore veterno
Mundanis deses illecebrisqve capi.

Multi

Multi vix orto valde fectantur Eoo
    Sollicite grandes, qvas habet orbis, opes;
Nec capit illorum placidus vigilantia fomnus
    Lumina, nec potis exfaturantur aqvis,
Contra anima eft ignava et iners, lethargica, lenta,
    Mollis, et innumero crimine preffa jacet.
Oeconomos moneo, qveis curæ eft vinea Chrifti,
    Ne defint facri partibus officii:
Mane preces fundant, meditentur dogmata mane
    Sancta Dei; fugiant turpia qvæqve fibi:
Pervigilant hoftes Domini, fapientia fraudes
    Confilia et texunt infidiofa piis:
Hos vitare volens vigilans qvocunqve dierum
    Mane fagax, vivi confule verba Dei.
Infuper obferva, qveritur qvod Chriftus, atroces
    Judæos dictis credere nolle fuis,
Ad qvæfita fibi nec refpondere rogatos,
    Omnia ad hæc furdos obriguiffe magis:
At nunc qvis credit, qvamvis Deus intonet orbi,
    Echo perraro redditur apta Deo:
Nec juvat antiqvis mundum mactare flagellis,
    Fulmina poenarum funt metuenda malis.
Eft mihi, qvod fateor, nimium converfio tarda,
    Eft mihi, qvam vellem, debiliorqve fides,
Attamen, o, Jnfu! fancti veneratio verbi,
    Sicut et eft, femper fit mihi fumma tui:
Proderit et monitum, fi nos mala fcommata lingvæ
    Infeftant, lædit five proterva manus,
Si nil jus valeat, nil excufatio, promto
    Omnia ferre animo, Chriftus ut illa tulit.



Jam mihi ſuccurrit proceſſus forma diei
Summi, cum ſurgunt, qvos habet alma parens;
Qvæſtio nulla malos reſponſaqve nulla juvabunt,
Nullus id excipiet defugietve forum.
Nunc tua vox, Jeſu! jucunda auditur, apertas
Fac noſtras aures, ut veneremur eam!
Hic noſtræ exſpectas accretæ tædia noxæ,
Poſtea præfractos gratia nulla manet.
O! Jeſu, qvando ſurgit lux ultima mundi,
Sis judex mitis, ſis placidusqve mihi!
Sol qvoties vitreis formoſus prodit ab undis,
Invoco te, laudis ſum memor atqve tuæ,
Tuqve mei meminiſſe velis qvocunqve dierum
Mane novo, vitam dum trahit aura meam!
Tandem ſecurus damni coeleſtica tempe
Fac, adeam, votis annue gratus, amen!

PÆNITENTIA JUDÆ.

ELEGIA XVI.

Infelix Judas dementi captus orexi,
Iſacidis Chriſtum vendidit ære levi,
Ter denos dederant, et ter neqviſſimus ille
Accepit ſiclos proditor absqve pari;
Sed poſtqvam Dominum damnatum viderat, illum
Jam ſubeunt facti tædia ſera ſui;
Ergo domus ſacræ myſtas a limine viſit,
Rettulit et ſiclos, qvos prius inde tulit,
Peccavi, dixit, prodendo in ſangvine juſti,
Reſpondere, ſua tale referre nihil;

Nec

Nec mora, fatiferum ſacra projecit in æde
Argentum, factus littera longa perit.
Conſilium Patres ineunt, agroqve relatum
Venditur æs figulo, traditur emtus ager,
Qvi fato functis peregrinis ceſſit humandis,
Semper et a fuſo ſangvine nomen habet.
Exitus hic vide ſit qvalis fraudisqve doliqve,
Nam ſocios Judæ par qvoqve poena manet,
Et nunc intortum laqveum crocodilus averni
Tendere ſcit falſis vulpibus ille ſuis:
Auctorem proprium fallacia ſæpe fefellit,
Qvi vitæ integris inſidiatus erat:
Pavit aves Judas pendens, Achitophel ut olim
Impius optatam mortuus ante diem.
Cauſa fuit Judæ lapſus primaria nummi
Sacra fames, Dominum vendidit ære ſuum,
Ditior at factus, blandi ſolaminis expers,
Abjecit triſtis, qvas prius emit, opes.
Eſt ſcelerum radix auri furioſa cupido,
Æricolæ nimii nil probitatis habent,
Attalicas cumulant injuſto fænore gazas,
Damnaqve dant animæ non reparanda ſuæ;
Qvorum nulla ſitim lucri ſedaverit unda,
Namqve augendarum vexat Erynnys opum;
Sed rabida ingluvie qvod nunc nimis hauſit avarus,
In ſtygiis inde eſt evomiturus aqvis:
Aut te divitiæ fugient, aut deſeris illas,
Ultima cum tibi lux irreditura venit.
Sit tibi vilis opum cumulus, qvas orbis adorat,
Contentus paucis namqve habet omne ſatis.

Præ-



Præmonuit Jeſus Judam perſæpe, nec hilo
Omnia perverſus duxerat iſta magis,
Nunc fruſtra monitus, fruſtra ſolatia qværit,
Qvæ nocumenta ejus, dent documenta, velim.
Sed qvam perverſe vitales duxerat auras
Hic prius, in multis maximus error erat,
Qvod deſperando contra ſpirabile Numen,
Peccaſſe æterni creditur ille Dei.
In Chriſto ſi vis decedere, vivito Chriſto,
Et fac, ſit Domini vox pretioſa tibi:
Peccata ingenue contrito corde fatere,
Proferat et fructus vita novata bonos;
Deniqve vera fides tua complectatur Jeſum,
Qva te propitium credis habere Deum.
Qvando meos tandem fragiles mors occupat artus,
Ne me deſtituat, qvæ beat una fides!
Qvam nulla exſtingvat mihi deſperatio cæca,
Illa locum veniæ qvæ ſupereſſe negat!
Sed me focillet, Jeſu! tua numinis aura,
Et tua cor mæſtum verba ſacrata meum!

AGER FIGULI EMITUR.

ELEGIA XVII.

Fatales Judæ ſiclos (cev diximus) *una*
Presbyteris ſummis vendere cura fuit,
Qveis et agrum figuli mercantur, ut advena qvivis
Hic poſſit tumuli gratis habere locum.
Hæc qvid ſignificent, jam diſpiciamus, eorum
Zacharias meminit namqve Propheta pius:

Aſſimi-

Aſſimilatur enim figulo Deus omne gubernans,
Amoſidæ vatis ccv monimenta docent;
Humanum ex limo formavit corpus in artus,
Munda facit magni, ſordida vaſa premit.
Eſt ager æterno Patri, cui gratia nomen;
Semper venalis proſtat et ille viris:
Emtor agri talis Jeſus fuit, illius autem
Effuſus pretium nobile ſangvis erat.
Gens fuimus peregrina, loco reqvietis egentes,
Protopatris ſoboles, qvotqvot in orbe ſumus,
Hujus enim lapſus coeli removebat ab aula
Nos, ubi ſiderea ſede parata qvies.
Hic anima eſt exul, donec verſatur in arcto
Corpore, cujus eam vincla moleſta tenent:
Frigida mors tandem crudeliter extrahit illam,
Carcere deſtructo, corpus inane putret:
Hæc, ſi qvid video, projecta cadaveris inſtar
Eſt anima, auxilio, nempe qviete carens.
Hoc animæ damnum Jeſus lacrymabile vidit,
Et ſtatuit miſeræ fata levare ſemel:
Conſenſit Pater aſtripotens, illiqve daturum
Spondebat lætum ſe reqvietis agrum,
Juſtitiæ rigor exacte ſtricteqve popoſcit
Qvale ſuæ, pretio ſufficiente dato:
Protulit hoc lytrum vaſto pretioſius orbe
Chriſtus, et hoc ejus paſſio tota docet;
Sangvineæ roſeo ſtillant de corpore guttæ,
His ager emtus, et his gratia parta Dei.
Qvando meum corpus terræ mandabitur olim,
Hæres eſt melior pars melioris agri,

Salva




Salva manu Domini namqve hæc reqviescit in alta,
Est igitur tuto mors obeunda mihi.
Emtus ager siclis peregrinis gratis humandis
Destinatus erat, qvæ modo dicta satis.
Hoc in agro tamen ampla dabatur humatio nulli,
Ni Hierosolimas vellet adire pius:
Hierusalem sancta est pugnans ecclesia Christi,
Intret, oportet, eam sit cui danda salus,
Hujus civis erit vere qvicunqve fidelis,
Et qvem baptismi laverat unda sacri.
Jam metus omnis abest, ager est, qvi gratia dictus,
Emtus, et hic reqvies emta salusqve mihi.
Qvomodocunqve caro pereat post fucera, tuta est
In manibus, Jesu! mens animata tuis.
Summa fero gratus meritæ tibi munera laudis,
Rupta qvod exilii sunt mala vincla mei;
Ipse tuum dederas agrum mihi cordis amantis,
Hic datus ergo meus sit tibi cordis ager!
Hoc unum supplex oro, compaginis hujus
Cum rumpet nexus mortis avara manus,
Hocce meum corpus digneris honore sepulcri,
Ut reqvies in agro sit mihi tuta tuo,
Et vita vacuum qvando de morte reducis,
Granum triticeum fertile nosce tuum!
Fascicula qvod, tu Jesu! dilecte tuorum,
Insere, ut æternum floreat illud, amen!

CHRISTUS ACCUSATUR CORAM PILATO.

ELEGIA XVIII.

Ductus erat noſter Jeſus, ſicut ante relatum,
Vinctus ad Auſonii ſplendida tecta ducis,
Judæo nulli placuit tamen illa ſubire,
Sordida ne ſanctos inqvinet illa domus.
Perſonata fides ſpectanda hic ſiſtitur, atqve
Relligio fuco contemerata ſuo:
Limina gentilis crimen duxere ſubire,
Iſta Phariſaici ſigna tumoris erant;
Plectere at inſontem nil criminis eſſe putarunt,
Mos avibus talis talibus eſſe ſolet.
Dedecus elatis miſeris ſuccurrere magnum
Creditur, et pietas officioſa viris;
Luxus at immodicus, ventoſa ſuperbia, et inde
Amphiteatralis pompa putata decus.
Egreditur prætor, vincti qvæ crimina? qværens,
Qvænam vinclorum cauſa pudenda reo?
Utere Pilato, docet is ſi recta, magiſtro,
Exempla at noli deteriora ſeqvi:
Tu, qvi nota ſedens cognoſcis crimina judex,
Et cui ſunt dubii credita jura fori;
Ne metuas faſtum titulis fumantibus altum,
Sed placeat veri vis generoſa tibi,
Et ſpernas blanda verba aſſentantia lingva,
Qvæ ſe ſcit variis inſinuare modis:
Grande ſupercilium, mens ambitioſa, tumensqve
Pectus honorandos dedecet omne viros.



Primates Jesum confitti criminis ergo
Triplicis insimulant, idqve seqvente modo:
Avertit populum, Christus vult rexqve vocari,
Cæsaris et prohibet justa tributa dari.
Accusatus eras delicti triplicis, et me,
O Jesu! triplex culpa gravabat atrox.
Sæpius aversa est Domino mea vita, videntes
Avertiqve alios; scandala qvando dedi:
Avertit Jesus homines a morte nefanda,
Dæmone, peccatis, omnibus atqve malis.
Æternæ grates, parendi prona voluntas,
Ille Deo census persoluendus erat,
Hunc interverti cev perfidus atqve rebellis
Servus, et inde reo poena parata mihi;
Obseqviosus eras, sed, tu sanctissime Jesu!
Tu, date, jussisti, tuqve tributa dabas,
Sæpe mihi fastus vanus fuit altior æqvo.
Pensa mihi parvi plurima scita Dei,
Munus regale, et mundanos semper honores
Sprevisti, regnum non erat inde tuum;
Sed tua Majestas veniet sublimis olympo
Tandem præclaro conspicienda modo.
Hæc illata tibi spinosa calumnia, Jesu!
Deleat, obducat crimina qvæqve mea;
Et qvando suprema dies illuxerit orbi,
Excuset meritum me simul omne tuum!

CON-

CONFESSIO CHSISTI CORAM PILATO.

ELEGIA XIX.

Qvæ contra Chriſtum Judæi dicta maligne
Spargebant, nuper ſunt medita mihi:
Pilatus præſes jam partes penſitat omnes,
Anxias et dicti criminis omne caput:
Primum Thariadum divinum tangere cultum
Vidit, et hoc ſicco præterit ille pede;
Altera pars vetiti fuit inſimulatio cenſus,
Novit et hanc veri prorſus habere nihil;
Tertia ſed viſa eſt majore indagine digna,
Suſpectum regis nomen et ille timet,
Suggerit hoc illi, qvod prodidit auribus olim
Romanis etiam garrula fama viris,
Meſſiam qvendam venturum ad regia ſceptra,
Si forte hic eſſet, noſſe neceſſe putat:
Rex Judæorum vellet num magnus haberi;
Præſidis ad Jeſum qvæſtio prima fuit,
Iſta rogas a te, Chriſtus reſponderat, ipſo?
An qvæſita alii dicta tulere tibi?
Num me Judæum credis, Dux Italus inqvit?
Turbida te tua gens tradidit ipſa mihi;
Qvidnam feciſti, qvod tam communiter omni
Exoſus populo cerneris eſſe tuo?
Mundanum, Jeſus inqvit, non eſt mihi regnum,
Subdita gens alias jam mihi ferret opem,
Præſes, Rex tamen es? Chriſtus, ſum Rex, ait, atqve
Emiſſus veri teſtis ut eſſe velim;

 Vera



Vera loqvor, veriqve audit me verus amator,
Qvid sibi vult verum tale, Pilatus ait?
Hic regem Christum cognoscimus esse, sed illum
Non tamen ex mundo, qvæ bene verba notes:
Est, Jesu! tua Majestas æterna, datore
Teqve potestatem, qvam gerit, omnis habet,
Tu qvia divitias, tu regna, palatia, honores
Das, confers, tribuis, credita sive locas:
Per te defendunt reges sibi subdita regna,
Contra Erebi vires vis tamen illa jacet:
Stans acie, pugnans, vincens de morte triumphos
Egisti celebres, orcicolaqve lupo,
Et de peccato, stygio de mortis averno,
Servato populo, rex bone Christe! tuo;
Spirituale tuum moderante celevsmate verbi
Dirigis imperium, sceptra tenente manu;
Hæc tua terribiles confundere fortiter hostes
Sceptra valent, missis sub juga panda malis,
Sed qvia spirituale tuum, non unius assis
Præpollens regnum mundus habere sciit,
Namqve suos tumidos fastus non repperit illic,
Inter dissimiles omnia friget amor.
Ergo nihil miror mihi qvod tam paucula mundi
Dentur amicitiæ candida signa ratæ,
Hic namqve exul ago, peregrino versor in orbe,
Hic meditor patriam, qvæ repetenda, meam.
Veracis Christi servat veracia verba,
Qvi dici merito subditus ejus amat:
Si cupias tanti cognoscere dogmata regis,
Esto Sacerdotum vox pia norma tibi;

Qvippe

Qvippe horum vox eſt, vox Chriſti, teqve per illos
Voce vocat certa, voce ſonante Deus.
Eſt et, qvod moneam, venturum tempus amicum,
Qvando dabit claros buccina ſera ſonos,
Tum qvisqvis qværendus erit, qvæ fecerit, aut cur
Fecerit hæc, aut qvo fecerit illa modo;
Qvilibet hic igitur qværat ſe veſpere qvovis,
Præterita qvænam fecerit ille die;
Qvæſita agnoſcat, bene cognita defleat, atqve
Defleta emendet juſtificante fide:
O! Jeſu, fateor, male, proh dolor! omnia feci,
Omnia præſtiteras ſed facienda mihi,
Omnia ſunt oblita Deo mea crimina, et omnis
Serviat omnimodo ſic mea vita tibi!

ITERATA ACCUSATIO JUDÆORUM.

ELEGIA XX.

Jam mortis Chriſti cauſam penſaverat anceps
Pilatus, plane neſcius et qvid agat.
Magnificum nihil hoc putat aut regale, qvod ille
De vero ſaltem paucula dicta daret;
Qvod mundo verum voluit coluiſſe videri,
Qvod verum ſummo riſerat ille Deo;
Omnia vera qvidem nobis veneranda putemus,
Sed palmam Domini verba verenda ferant.
Judæis poſthæc teſtatur voce rotunda,
Crimine in hoc læſo criminis eſſe nihil;
Actores cauſæ tanto furioſius inſtant,
Oreqve ſacrilego plura aconita vomunt;

 Hic



Hic, ajunt, populum commovit, et a Galilææ
Finibus huc veniens dogmata prava docet:
Cognoſcens Prætor qvod gente ſit ortus ab illa,
Herodes ubi rex publica jura dabat,
Mittit ad hunc Jeſum, pendens qvo Judice cauſa
Acta ſit, ad finem lisqve peracta ſuum.
Sentio nunc, Jeſu! lætos ſub pectore motus,
Tu qvia Pilato Judice juſtus eras,
Crimine fœdatus fueram, tu criminis expers,
Qvæ tua ſunt, mea ſunt, juſtus et inde vocor;
Qvando lex merito mihi peſſima qvæqve minatur
Sic frangis miſſas legis ab ore minas,
Ille vacat culpa, culpa namqve ipſe vacabam,
Integer et juſtus qvi ſine labe fui,
Juſtitiam pater hanc totam meus imputat illi,
Hinc juſtus merito dicitur ille meo.
Sermones vanos varias nugasqve loqvaces
Noſco meas poenam commeruiſſe gravem.
Hæc tua præſtabant taciturna ſilentia, Jeſu!
Qvæqve mihi pariter ſint facienda, docent:
Sic diſcam, patiens digito compeſcere labrum,
Qvando lingva probris me violenta petit:
Sed regi voluit fallax imponere Prætor,
Atqve dolos vafros credidit eſſe ratos,
Ingenium patet hic, hæc eſt ſolertia mundi,
Fraudibus incautos ludere velle ſuis;
In mundo diſcas igitur procedere caute,
Qvi male compoſitos verſat agitqve dolos.
O! Jeſu, reqvietis erit mihi cauſa perennis,
Hæc via tam triſtis, tamqve moleſta tibi,

Officii

Officii qvandoqve mei si pondera vexant,
Aut qvid me maneat forte doloris iter,
In laudes qvodcunqve tuas, qvantumqve paratus
Semper ero gratus ferre laboris onus.

NASUTÆ HERODIS QVÆSTIONES.

ELEGIA XXI.

Adductum Jesum cernens Herodia vulpes
In tacito fovit gaudia magna sinu:
Plurima de Christo perceperat auribus, atqve
Multa rogat; Jesus omnia ad illa silet.
Sunt, qvibus ingenium simile est Herodis, eisqve
Sunt jocus et lusus verba tremenda Dei;
Rimari cupiunt fidei Mysteria sacræ,
Hiqve sibi sapiunt, desipiuntqve Deo:
Ingenii qvando nimium sublimia pennis
Forte petunt, ludunt, præcipitesqve cadunt:
Non ludit Dominus pravis mala multa minando,
Nec cum blanditiis utitur ille suis,
Sed neqve tu ludens unqvam versaveris istud
Nobile depositum, dogmata sæta Deo;
Sobrius hæc tractes, doceas, et in omnibus illis
Esto procul longe fœda cavilla procul.
Te tua vox, Jesu! qvando mihi cælica prodit,
Exundant mentis gaudia certa meæ,
Cum celebro sacræ convivia mystica cænæ,
Te veræ fidei lumen utrumqve videt.
Herodis fuit hæc carnalis vana cupido,
Et nova noscendi non bene sana fames;



Sed mea te, Jesu! suspiria fervida mittens,
Intima vis animæ, Christe! videre cupit:
Felix illa dies! potero qva cernere tandem
Te, mea lux! qvando hæc tempora læta dabis.
Insuper illa docent taciturna silentia Christi,
Sancta cani spurco non decuisse dari;
Gratia namqve Dei tumidæ fastigia mentis
Non scandit, fluit in corda modesta magis.
Herodis molli Christus contemtus ab aula
Indutusqve alba veste remissus erat,
Sic inter Regem junctus clarumqve Toparcham
Qvi fuerunt hostes est socialis amor.
Candidus iste color probrosæ vestis, Jesu!
Laudibus inservit tempus in omne tuis:
Coelorum cives visi sunt vestibus albis
Hujus Mnemosynon concelebrare rei,
Nam sic vestitas volucres sine corpore flammæ
Spectandas sese sæpe dedere viris.
Indue me nitidam, Jesu sanctissime! vestem
Justitiæ, mea qvæ gloria summa, tuæ:
Et mea duritiem facias, solidumqve rigorem
Exuat impatiens et violenta caro.
Hostibus est magnis concordia nata duobus,
Inter eos qvando flebile carpis iter,
Sed tua, mi Jesu! plus intercessio præstat,
Dum me concilias, qvi regit astra, Patri;
Es mediator enim me clemens inter et illum
Qvotidianus, et hinc pax mihi certa venit.
Nunc ubicunqve gravis surgit discordia, contra
Velle Dei, vivit grex ubi, Christe! tuus,


Inter-

Intercede tuo pacis ſpiramine ſancto,
Ut fidei ſocios jungat honeſtus amor!

JUDÆI CLAMANT: CRUCIFIGE!

ELEGIA XXII.

Ludicra Jeſu redeunte Herodis ab aula,
Nulla ubi juſtitia et nil pietatis erat,
Clamat Pilatus, regem teſtatur et una,
Hunc accuſatum labe carere virum.
Et Dominus cauſam novit dignoſcere juſtam,
Et nutu lingvam cor hominisqve regit:
Eſto probus, qvoniam tandem bona cauſa triumphat,
Non etenim ſemper, qvæ bene facta, latent.
Jamqve ſuo populus ſolito pro more petebat,
Ut cuidam vincto ſit data vita reo,
Sic libertatis memores voluere videri
Ex Peluſiaci carcere viqve ducis,
Ne te ſeducant veteres uſuqve recepti
Mores, mandato qvi caruere Dei,
Nam ſpecioſa parum prodeſt intentio facti,
Ni fuerint juſto facta probata Deo.
Prætor ait populo, ſit nunc electio veſtra,
Namqve duos ſtatuo, liber ut alter eat,
Optate aut Chriſtum, mox aut optate Barabbam:
Servari Jeſum ſic qvia poſſe putat.
Humanis ubi conſiliis non annuit, atqve
Aſpirat, rutili qvi regit aſtra poli,
Omnia ſponte ruunt, retro ſublapſa referri
Omnia cernuntur perdita facta viri,



Eſt etenim fragilis fallax ſapientia carnis,
  Qvod ducis Auſonii cæpta ſiniſtra probant.
Primores populi mortem depoſcere Chriſti
  Cæpere, et ſvadent, plebs petat omnis idem.
Omnibus exemplis hominum complaudere noli,
  Qvorum vis ingens eſt in utramqve vicem,
Nam non laudandum eſt, qvicqvid laudabile dicunt,
  Si cæcus cæcum ducit, uterqve cadit:
Si qvis adhortatur, facias, qvæ facta pudebit,
  Hunc tu mordaci vel magis angve fuge;
Qvam male proſpicies, Domini ſi gratia qvando
  Venditur æterni vilis amore viri:
Sic auſcultando fortaſſe peribitis ambo,
  Tuqve malusqve tuus ſvaſor uterqve reus:
Qvid juvat in præſens aura gaudere malorum,
  Si tua cum pravis naufraga puppis erit.
Qvid faciant, paſſim plebecula ſubdita curat,
  Qvi metuenda tenent ſceptra jubente Deo,
Qvicqvid agunt iſti, licitum ſibi credit et illa,
  Hinc præſtare aliis hos pietate decet.
Scandala ſunt lapidi vere aſſimilata molari,
  Qvæ figens collo pronus ad ima ruet,
Hoc cacoethes enim per venas ſpargitur omnes,
  Sed cui vipereum tinctile virus ineſt;
Exemplum multis eſto laudabile morum,
  Et cole amore pios, et pietate Deum.
Uxor Pilati bene ſvaſerat, omnibus illa
  Semper matronis eſt imitanda bonis;
Abigaelis erit clarum memorabile nomen,
  Jezabelis contra ſordet ubiqve decus.

Nunc


Nunc mea vis animi, Jesu! convertitur ad te,
Audio nunc omnes ingeminare palam,
Atqve tuam mira rabie depofcere mortem,
Sed tibi nullus ad hæc excidit ore fonus:
Qvando fator mortis, lex lethifera, et mea qvæqve
Crimina conclamant, fuppliciumqve petunt,
Tu mihi caufidicus, Jesu! tu petra falutis,
Tu libertatis caufa caputqve meæ:
Fulmina Judicii fummi, torqventis averni
Vel gemitus, ftygii mæfta qverela rogi,
Nunqvam me ferient, clamor qvia percutit aures
Stentoreus qvondam mortifer ille tuas:
Jam me certa manent, clamantibus omnibus una
Gratia, pax animæ, gloria, vita, falus:
Orantis clamor, qvæqve et fufpiria mentis
Coelefti pofthac funt mea grata Patri:
Jam chorus angelicus, jamqve hæc ecclefia laudes,
Atqve triumphatrix clamat ubiqve tuas;
O! Jefu, clamant Hofianna, jubila grates,
Qveis mea devotum mens fimul addit amen.

CHRISTUS VIRGIS CÆDITUR.

ELEGIA XXIII.

Nudatum palo Jefum mavortia turba
Alligat, immedicis exagitatqve flagris.
A capite ad calcem plenum vibicibus ejus
Innumero fædum vulnere corpus erat;
Ut nubes ruptæ cernuntur fpargere lymphas,
Qvando ruit pluviæ labilis humor aqvæ,

Sic



Sic omnes Jesu venæ fudere liqvorem
    Sangvineum, tumuit livida tota caro.
Vinctum me tenuit tenebrosum carceris antrum,
    Saucia mens gemuit crimine pressa suo,
Ista lues se per venas diffuderat omnes,
    In me nil sanum, nil nisi vulnus erat;
Mortiferæ legis scuticis laniabar acerbis,
    Æternæ afflixit dira sagitta necis;
Lethali morbo gemuit pars intima cordis,
    Nulla dari poterat certa medela mei;
Talia vidisti, Jesu! mea vulnera cruda,
    Vivacisqve animæ tristia flagra meæ;
Et pro me misero contorta flagella subibas,
    Inde est flagrorum poena remissa mihi:
Te mea morborum moles tristissima pressit,
    Est langvore tuo sic mihi parta salus,
Et tua discrucians hausit præcordia mæror,
    Qvi mihi detraxit corde doloris onus;
Qvæqve tua est vibex præsens sanatio nostra,
    Talia erant morbis pharmaca tuta meis,
Commeditans tua flagra meum cor palpitat, horum
    Nam tibi flagrorum proxima causa fui.
Servus eram, pudet hev! alieno mersus in ære,
    Sed tu solvisti nomina cuncta rei:
Nunc tibi procumbens supplex, placidissime Jesu!
    Ora per hoc nomen, commiseresce mei!
Qvod superest animæ svavi solamine pastus,
    Te venerabundus tempus in omne colam.
Plaudat nunc animus mundatus sangvine Christi,
    Jam qvia solliciti causa doloris abest,

Gratia


Gratia nunc iræ ſucceſſit maxima, lucrum
    Damnis, opprobrio gloria, vita neci.
Si Deus ulceribus carnem lacerantibus ægram,
    Et velit, et jubeat corpora noſtra premi,
Vincere cordata fas eſt pietate dolorem,
    Eſt animus patiens hoſtia grata Deo;
Namqve redemtori qvæ forma ſimillima noſtro,
    Non poterit dici, non ſpecioſa mihi;
Non decet, ut ſervo ſaliant præcordia riſu,
    Qvando premit Dominum ſors inimica bonum,
Effigies Jeſu patientis gloria noſtra eſt,
    Hoc utinam moneat me nova qvæqve Dies!

DE PURPUREA VESTE ET SPINEA CORONA.

ELEGIA XXIV.

Induxit poſthæc Jeſum Prætoris in ædem
    Miles, et huc plebem convocat ille levem,
Purpureæ veſtis, qvi ſcrutis vilibus illum
    Induit, exultum veſtibus ante ſuis.
Qvæ data juſtitiæ qvondam mihi fulgida veſtis,
    Amiſſa eſt, ſubito perdita prorſus erat;
Adam primus homo talis mihi cauſa malignæ
    Sortis erat lapſu præcipitante ſuo:
Indueram contra detritam crimine veſtem,
    Qvæ nimium vario picta pudore fuit,
Suſtulit hanc Jeſus, patitur dum nudus, et omnem
    Juſtitiæ cultum reddidit ipſe ſuæ;

Suffu-



Suffugium nunc eſt ejus ſub murice noſtrum,
Sic lateo, mea ſic crimina cuncta tego.
Spinea ad hæc Chriſti frontem pungente corona
Cinxit, carnificum ſangvinolenta manus.
Hujus aculeoli carnem velut ignis adurunt,
Puniceo facies ſangvine ſancta madet;
Propter Adam lapſum tellus anathemate tacta
Dicitur, et ſpinas illa tuliſſe feras:
Iſtud vulnificum ſertum laceravit ad oſſa,
Semper adorandum qvod ſine fraude caput;
Per Jeſum paſſum venit benedictio terræ,
Nunc iterum fructus germinat illa bonos,
Ubertim largo ſaturans animalia paſtu,
Laudet eum, tellus herbida qvicqvid alit,
Exſpectanda mihi fuerat maledictio legis,
Hanc ſubiit Jeſus; inde beatus ago,
Gratiæ in hac vita ſummæ, ſed gloriæ in illa
Qvæ ſeqvitur, ſic eſt danda corona mihi.
Nunc et arundineum ludicra mente bacillum
Fœdato ſpinis impia turba dedit,
Curvatis genibus Regem ſimul illa ſalutat,
Sceptrigerum variis ludit et illa jocis;
Inde caput baculo feriunt, ſputisqve pudendis
Conſpurcant faciem, qvæ veneranda fuit:
Qvando ſancta ſubis Domini penetralia templi,
Esqve piis precibus demeriturus eum,
Sic cave ludifices Chriſtum curvamine flexi
Corporis, inſigni qvod pietate caret,
Et carnis cordisqve genu curvabis adorans,
Ne disconveniant lingva animusqve ſibi:

Hic

Hic tremebundus item meditor, qvæ, qvanta fuiſſent
Tempus in æternum perpetienda mihi,
Ni, bone Salvator! duris lacerate flagellis
Me ſubduxiſſes, qvæ metuenda, flagris.
Hinc mihi dum calidæ ſaliunt in corpore venæ,
Te venerabundus pectore et ore colam;
Affer opem, præſta auxilium, mihi ſuffice vires,
Dextramqve infirmo porrige gratus amen!

CHRISTUS EDUCITUR EX PRÆTORIO.

ELEGIA XXV.

Educens Prætor Jeſum compellat Æronis
Progeniem, miſerum, dixit, et ecce virum!
Qvem modo cernentes ſpinas veſtemqve gerentem
Purpuream, pleno gutture verba ſonant,
Ocyus hunc macta, crucifixum tolle nocentem.
Non aliter ſua gens commiſeratur eum,
Nil jam verba valent, nil excuſatio juſta,
Sed mentem ſtimulans obtinet ira malam;
Hinc animus cæcus, cor hinc occalluit ardens,
Adjiciunt tandem verba datura fidem.
Divinam legem talem damnare, qvod ipſe
Dixiſſet Jova ſe genitore ſatum.
Impia gens legem ſcriptam detorſerat iſtam,
Taliter injuſti vincere velle ſolent:
Non ſatis eſt dixiſſe, magis decet eſſe probata,
Judicis aſſenſum qvæ meruere boni.
Eſt Dominus juſtus Judex, qvare illius omnis
Surgat in exemplum judicis arma gerens,

Ne




Ne qvem ſeducant aut ſeſqvipedalia verba,
'Aut rabulæ tricis jurgia mixta malis.
Paſſio qvando meas, Jeſu! tua fertur ad aures,
Omnia terribilis percutit oſſa pavor,
Nam qvæ paſſus eras triſtiſſima ſpicula mortis,
Æternum fuerant cuncta ferenda mihi,
Sed qvando meditor juſtum te hæc omnia paſſum,
Et qvare hæc paſſum, diffugit ille pavor;
Exitus hic Chriſti nobis memorabilis eſto,
Ut fructus dulcis pullulet inde magis;
Cerne, qvid extulerat, ſpinas oſtrumqve cruentum,
Sangvineum corpus vulneribusqve tumens:
Sangvine fædatis, anathemate legis amaræ,
Conſtrictis nobis triſte patebat iter,
Triſte patebat iter contemtis atqve repulſis
A facie Domini tartara ad ima reis:
O! crimen, crimen, qvot pro te Chriſtus acerba,
Qvantum ſupplicium, qvalia damna tulit?
Nempe tui fructus erat hæc uberrima meſſis,
Hiqve tui flores, hæc tua poena fuit,
Occæcata caro non novit te mea qvando
Decepta eſt technis, illecebrisqve tuis.
Exitus at Jeſu fuit hic e præſidis aula,
Introitus meus ad regna beata Dei;
Illius egredior ſemper ſubſidere fauſto,
Iſta ſub aſtrigeri culmina celſa poli,
Elatumqve dabit placide reqvieſcere tandem
Corpus, qvando animam lux habet alta meam:
Inde corona mihi dabitur regalis honoris,
Et data juſtitiæ ſplendida veſtis erit;

Meqve

Meqve resurgentem coelestis & aliger ordo
Ducet in æternæ gaudia firma domus:
Tum dicet præco divinus voce sonora:
Ecce virum cui sors sæpe noverca fuit,
Sæpius hunc olim sævas subiisse procellas
Vidimus, & madidas imbre rigasse genas;
Nunc debellavit, virtute & sangvinis agni
Victor ovans, brabeum, nam jacet hostis, habet;
Jubila tunc anima ac Epinicia svavia victrix
Hæc mea perpetuo læta tenore canet,
Qvod, te dante, tuo cessit victoria servo,
Buccina & inflanda est omnibus ista piis.
Sane eqvidem patris, Jesu sanctissime! summi
Filius es, lapsis anchora sacra viris,
Nam qvæ nactus eras patrimonia ut unicus hæres
Scribis adoptivis fratribus illa tuis;
Æqvalis Patri, nobisqve simillimus idem,
Idem verus homo, verus & ipse Deus;
Ergo qva Deus es, qva vir sanctissimus una,
In geminent laudes cuncta creata tuas!

COLLOQVIUM PILATI CUM CHRISTO.
ELEGIA XXVI.

Nuper fassus erat Christus sermone rotundo,
Omnia prognatum se moderante Deo;
Ergo Pilati trepidat formidine pectus,
Et Jesum pavitans, unde sit ille, rogat;
Christus adhæc tacuit; Præces urgebat at illum,
Dicens tune mihi vis bona verba loqvi?



An nescis, mihi sit qvod deveneranda potestas,
Mittere te, veluti plectere morte qveam?
Respondit Jesus, in me tibi nulla potestas
Esset, ni fuerit facta superne tibi;
Ergo magis peccat, qvi me tibi tradidit; inde
Liberet ut Jesum plurima Prætor agit.
Judæi reboant: certa est si mittitur iste,
Cæsaris Ausonii gratia nulla tibi;
Regnare, ut nosti, solus vult, qvilibet ergo
Se Regem faciens est inimicus ei.
Credebant qvondam mersæ in caligine gentes,
Idola Semideum progenerare genus,
Ergo censebat, Divorum forte propago
Hic si sit, cautè jura gerenda sibi.
Larvatos olim gentes coluere Deastros,
Et tenuit vanus pectora cæca metus;
Sed qvanto magis astripotens Deus omnibus ipse,
Qvi reprimit tumidos, permetuendus erit.
Præsidis inflavit sua magna potentia mentem,
Crederet ut qvævis impia justa sibi:
Forsitan & capiat fallax sententia multos,
Qvos ornant fasces, imperiiqve decus,
Qvamvis depravent torqvendo oracula legis,
Ut qvæ collibeat, cuncta licere putent.
Sublimes Pater æthereus concedit honores,
Custodes Themidos, qvod meminisse juvat;
Omnibus ille suum munus concredidit, ergo
Pro merito cuiqve est justus habendus honor,
Sed caveant illi tumidas attollere cristas,
Atqve superbifico celsius ire gradu:

Sir

Sit procul injustæ studium damnabile partis,
Et procul hinc odii perniciosa seges:
Ipse magistratum statuit Deus, hunc & honoret
Subdita gens, gladium nam gerit ille Dei;
Morigeri placide vivunt, tutiqve qviescunt,
Supplicium contra grande rebellis habet;
Sicut deliqvit qvisqvis, punitur & ille,
Ultio peccato poscitur æqva suo:
Verbera præfacto non cessant tristia servo,
Qvi spernit Domini cognita jussa boni.
Conservet Deus hic, flores qvos orbis & urbis
Constituit, ne qva hos devius error agat,
Sed partæ exornent vigiles insignia Spartæ,
Qvorum dicta pie dicta putanda Dei:
Sic nos sancta fides ornet moresqve probati,
Dum rutilos Titan axe retorqvet eqvos.

PILATUS VERBA FACIT CUM JUDÆIS
ELEGIA XXVII.

Audierat Præses minitantes Cæsaris iram
Judæos, Jesum duxerat atqve foras,
Proqve tribunali residens adstantibus inqvit,
Hic vester Rex est; hunc crucifige sonant;
An Regi vestro faciam sic, ludicer inqvit?
Rex, ajunt, nobis non nisi cæsar erit;
Hæc ubi facta, locus fuit olim Gabbata dictus,
Morti devotus Rex ubi noster erat.
Ach! væ Judicibus, qvibus est bene cognita causa,
Sed Studio partis vendere jura solent:



Iram pertimuit Pilatus Cæſaris, atqvi
Vitanti Scyllam certa Charybdis erat.
O! væ Judicibus, qvibus eſt pervertere leges
Ludus, & a vero qvos ſua lucra trahunt;
Proſtituunt Dominum, deqve his proverbia dicunt,
Qvod geſtent clauſo ſemper in ore bovem.
Nunc Jeſu! mea mens & lingva revertitur ad te,
Pilatus Regem, gens tua, tolle, crepat:
O! Jeſu Rex es, Regum ter maximus, es Rex
Noſter, & Angelici Rex ſuper aſtra chori;
Attamen hic vinctus ſtabas, mirabile dictu,
Hic deſtinatus ſupplicioqve crucis,
Extremæ qvando præfulſerit aura diei,
Spectandus venies regia ſceptra tenens,
Judice qvo juſtus cenſebor, cumqve beatis
Et ſummo tecum Rege beatus ero.
Dico meum Regem te, Jeſu! dicere ſervum
Meqve velis, mihi qvod gloria ſumma, tuum.
Sæpe dedit damnum via lubrica Gabbata mundi,
Huc ductus mihi das inde referre pedem.
Te, Jeſu! Regem tua ſancta Eccleſia ſummum
Eligit, electa eſt qvæ tamen ipſa prius,
Hanc beet electam pax præſtantiſſima rerum,
Poſſit ut æterna pace beata frui.

PILATUS MANUS LAVAT.
ELEGIA XXVIII.

Pilatus cernens ſua jam conamina fruſtra,
Et qvod ſeditio certa parata foret,

Conſenſit

Consensit tandem populi dementibus ausis,
Judicat & tanqvam gens recutita petit;
Abluit inde manus lymphâ, lymphatus & inqvit,
Culpa est in justi sanguine nulla mihi;
In nos & nostro prognatos sanguine, dicunt,
Sanguinis effusi culpa redundet ea.
Criminis in Christo nil invenit impius ille
Prætor, & insontem sæpe fatetur eum;
Attamen hic contra dictamen mentis iniqvæ
Criminis expertem judicat esse reum;
Exempla O! utinam sordescant talia nostris
Judicibus claris, Principibusqve viris.
Oderunt multi, culpant & ob ista Pilatum,
Ejus at exscribunt impia facta tamen;
Magnatum servetqve metus, frigetqve salubris
Zelus, & hinc exlex gens scelerata ruit:
Aurea spes lucri, spirabilis aura favoris
Facta palam, qvamvis non benefacta, tegit;
His vana ambitio neqvam tuitura Barabbam
Additur, & forsan munera grata juvant;
Jam venit in partes, qvam sustulit improbus Achan,
Et statuit pretium Chrysea lingva suum.
Unde scelus varium longo qvod tempore gliscit?
Cura levis visa est maxima causa mihi,
Jam propria utilitas sedem tenet una secundam,
Parcere furciferis lausqve putata malis,
Pallentesqve metus, ausint ne emergere leges
Qvi faciunt, agmen ducere forte qveunt.
Se coram populo Pilatus laverat, & sic
Se lautum Domino credidit esse miser,

 Stulti-



Stultitiam fugiant insignem Præsidis illam,
In qvorum corde est condita mica salis:
Te mundare volens, præcordia & omnia mundes
Mentis opaca tuæ, sic bene mundus eris;
Hæc ut mundentur, lacrymarum labilis unda
Cum rubeo Christi sangvine mixta juvat;
Crimina defleto; meritis innitere Jesu,
Deniqve conversus ficta lavacra fuge.
Se super atqve suos vindictam sangvinis acrem
Venturam gnatos gens male sana petit;
Sic dictum factum, namqve hæc concepta videmus
Tempus ad hoc miseris vota nocere viris:
Si qvando præceps irarum fluctuat æstus,
In verbis cautum te decet esse tuis,
Sæpe & enim multis diræ nocuere nefandæ,
Exemplis poterint ista probata dari.
Judicis o! Jesu, voto damnatus iniqvo
Qvi fueras, judex amodo summus eris;
Judicibus fer opem, studeant ut dicere jura,
Cev mandant verbi jura verenda tui.
Ablue nostra simul male sordida corda manusqve,
Intemerata fides pectora munda tegat:
Nosqve tuus sangvis ex toto corpore fusus,
Et sobolem nostram semper ubiqve juvet.

LIBERATIO BARABBÆ.
ELEGIA XXIX.

Tradidit in mortem Præses injustus Jesum,
Cædis & est jussus liber abire reus;

Carcere

Carcere clausus erat, qvem diximus ante Barabbas
Et cui culpa gravis morte luenda fuit.
Significat patriam prolem memorabile nomen,
Protopatremqve ejus progeniemqve notat;
Peccando lapsus Domino factusqve rebellis;
Omne neci dederat seqve suumqve genus;
Carcere constrictus Stygio, moriturus in ævum,
Illius & soboles deperitura fuit:
Damnato Jesu, sed nunc datur omnibus illis
Augustum vitæ liberioris iter.
Qvando qvidem primi proles sum certa parentis,
Certa salus etiam provenit inde mihi.
Multa Deus mandata mihi dedit æqva benignus,
Mandatis autem sæpe rebellis eram,
Forte reus cædis, qvoniam deterrima qvæqve,
Qveis alios læsi, scandala sæpe dedi;
Teste Deo sontem pressit me infamia duplex,
Et merui clausus carcere vincla pati.
Captivum legis terror mactavit acerbæ,
Formido mortis judiciiqve Dei;
Audio nunc famæ mulcentis gaudia lætus,
O! Jesu, poenam te subiisse meam,
Te condemnatum, te vinctum, teqve necatum,
Aurea libertas ut mea vincla levet:
Qvando tuis verbis absolvor crimine ab omni,
Illico me fortis spes melioris habet,
Strictorum fœdus vinclorum rumpitur ordo,
Claustra relaxantur carceris atqve mei:
In te damnatum est, in me damnabile qvidvis,
Possit ut, O! Jesu, nil mihi damna dare;

 In



In me igitur qvicqvid fuerit venerabile nomen
Elogio merito tollat ad astra tuum:
Deniqve coelesti festo Paschatis in amplo,
Svave tibi lætus laudis agalma feram:
Sic patris soboles qvævis sic nempe Barabbas,
Christe! tuum meritum buccinet omnis, amen.


CHRISTUS CRUCEM BAJULAT.
ELEGIA XXX.

Purpurea Jesum tunicâ Mavortia turba
Exuerat, vestes induerat qve suas;
Iamqve crucis lacerum vexant gestamine corpus
Carnifices, Domini languida membra tremunt;
Inde recrudescunt ferventia vulnera Christi,
Per pia sangvineus ros sua membra fluit:
Tum Simon qvidam peregrinus forte viator
Occurrit., nolens idqve subibat onus.
Qvi contra mentis dictamen crimina patrant,
Qva possunt, Christi vulnera cruda novant.,
Ni tempestive morum tædere priorum
Conversi satagant, defugiantqve scelus.
O! qvam mens hominum fuit ingratissima, qvorum
Morborum Christus sæpe levabat onus,
Nunc apud haud qvenqvam veteris stat gratia facti,
Qvi crucis hoc fesso grande levaret onus.
Simonis sobolisqve ejus sit mentio, namqve
Pro merito laus est non peritura piis;
Et memori servatqve suos prolemqve suorum
Mente Deus, referens, qvæ benefacta suis.

Obviet

Obviat hic Chriſto vir qvis peregrinus, & illi
Contigerat Domini ſubdere colla cruci.
Hoc certe fuerat nobis memorabile ſignum,
Judæis ſpreta eſt gentibus orta ſalus.
Sæpe mea admiſſæ refricantur vulnera culpæ,
Eſt mihi, qvod ſanet morbida membra, nihil.
Vulnera vulneribus lethalia lethiferis ſunt,
Sed tua, mi Jeſu! ſola medela meis.
Ligna ferens Iſach faciens iter atqve moleſtum,
Ligniferi fuerat, Chriſte! figura tui.
Sed neqve diſſimilis crucis ardua & aſpera multis
Te moderante, piis eſt ineunda via:
Qvando me afficiunt ſubnubila fata dolore
Sub cruce lapſanti, fortis adeſto mihi;
In cruce tollendâ ſeqvar ut tua triſtia viſu
Signa pedum, tarda eſt difficilisqve caro;
Velle qvidem ſupereſt, ſed claudicat ægra voluntas,
Qvi dederas velle, & da mihi poſſe ſeqvi:
Tu ſemper miſeros, Jeſu! miſeraris amicos,
Sic mihi perſpecta eſt gratia amorqve tuus,
Nominis ergo mei, Pater O! Pater alme! memento,
Me qvando miſerum crux lacrymoſa premit.
Sed tu, qvi crucifer Chriſti veſtigia adire
Cogeris, hæc fida mente monendus eras;
Qvando jugum crucis es ſubiturus triſte, caroqve
Murmurat, advertas, qvo duce carpis iter;
Nempe ſit illa crucem Jeſu geſtantis imago
Aſſidue ante oculos ſangvine ſparſa tuos:
Crede mihi, levior magis & tolerabilis illa eſt
Dura crucis moles inde futura tibi:

 Succol-



Succollare crucem nunqvam videare malorum,
　　Noſcitur ex ſocio nam bene qvisqve ſuo;
Vive modum ſervans, retinens qvæqve optima vive,
　　Fac bona, & ut bona ſint, fac ſimul illa bene.
O! Jeſu fer opem, mortis minuendo labores,
　　Atqve mei facias lene doloris onus,
Pignora tuqve Deus, Deus optime! protege noſtra,
　　Diſcrimen fac ab his crimen & eſſe procul;
Sicqve favore tuo mecum complectere, eorum
　　Ut ſint in vitæ nomina ſcripta libro.

ORATIO CHRISTI AD MULIERES.
ELEGIA XXXI.

Eductum Jeſum ſeqvitur lacrymoſa caterva,
　　Fæmineumqve genus fletibus ora rigans;
Verſus ad has Dominus, ne vos me plangite, dixit,
　　Qvæ colitis Solymæ tecta ſuperba feræ;
Sed vos & veſtros gnatos deflete tenellos,
　　Qvos nunc incautos tempora mæſta manent;
Tum felix ſterilis, felix dicetur atechnos,
　　Optabuntqve ſuper ſe juga celſa cadant,
Arbor nam viridis ſi ſic tractatur iniqve,
　　Qvam ferient ictus arida ligna graves.
O! vos mundani, qvam vani ſitis honores,
　　Exemplum præſens flebile rite probat:
In feſto cui ſparſa dabant Ramalia nomen,
　　Intravit Solymas filius ipſe Dei,
Tum venerabundi Jeſu venientis amici,
　　Excipiunt Dominum plebs meliorqve ſuum,

Idem

Idem poſt paulo crucifer compulſus ab urbe,
Cernitur electis flentibus ille ſuis:
Si mundus Domino fuerat malefidus amico,
Qvam bellè ſervo fidus amicus erit:
Blanditiis ejus comes eſt mens ſublita felle,
Talis amicitiæ ſpreta ſit umbra tibi.
Me decet o! Jeſu! gemitus ex pectore mæſto
Ducere; qvod decuit te mala tanta pati;
Sed noſter planctus tibi prorſus inutilis ille eſt,
Qvi ſummus regnans jam ſuper aſtra ſedes;
Sed decet ex triſti ſuſpiria pectore fundi,
Qvod tibi funeſti cauſa doloris eram:
Crimina noſtra tibi grandes peperere labores:
Debebam, ſed tu debita cuncta luis:
Servatam metuo ſummi mihi numinis iram,
Qvi merui culpam pendere morte meam;
At me ſolantur meritorum, Chriſte! tuorum
Fructus, unde mihi vita ſalusqve fluunt.
Ergo dolor, fletus, gemitus qveribundus & angor
Ceſſarunt, plauſus ſubſeqviturqve meus;
Omnia nam mea ſunt peccata obducta litura,
Omnia lethæis merſa teguntur aqvis;
Ergo precor, facias, ne poſt mea funera qvisqvam,
Qvæ male commiſi, crimina tetra luat.

DE ARBORE VIRIDI ET ARIDA.
ELEGIA XXXII.

Commemorata prius viridis fuit arida & arbor,
Hæc qvid ſignificent, diſcere verba juvat:

Arbor



Arbor erat viridis frondentibus obſita ramis,
 Indutus carnem Chriſtus in orbe manens;
Protulit hic ſvaves fructus, morbosqve fugavit,
 Et vicit Stygii fumida regna Jovis:
Auditum ſurdis dederat, cæcisqve videre,
 Perqve illum mortis lex reſoluta fuit:
Ex hac melliflui ſtillabant ſtirpe racemi,
 Solamen mæſtis omnibus omne tulit;
Arbor grata Deo, gratiſſima terræ & olympo,
 Qvod bene teſtatum res manifeſta dedit,
Tempore qvo Chriſtus Bethlemi naſcitur, atqve
 Baptiſmi qvando fonte rigatus erat,
Semina juſtitiæ ſpargens ad tempora mortis,
 Morigerus patri fons erat ipſe boni:
Attamen hæc arbos irarum turbine magni
 Immodico viſa eſt exagitata Dei.
Cur ergo voluit ſpatioſi conditor orbis
 Dilectum gnatum talia ferre ſuum?
Arida ligna ſcias hominum genus omne fuiſſe?
 Exſuccum, fructus omne tuliſſe malos;
Damnoſam qvercum juſſit radicitus illam
 Exſcindi Dominus, ne magis obſit agro:
Intercedentem pro nobis ſolvere patri
 Debita tunc Jeſum noſtra neceſſe fuit;
Induit hic carnem noſtram, ſic marcida vitis
 Germinat, effuſo ſangvine, Chriſte! tuo,
Concuſſa eſt arbor viridis, revireſcit inanis
 Pinus & hinc, ramis ſurgat ut illa ſuis;
Et voluit Chriſtus deduci mortis ad aras,
 Ante iterum aſcenſas, qvæ ſuper aſtra, domos.

Obtinet

Obtinet hev! qvalis carnem dementia noſtram,
    In lapſus varios dum male ſana ruit;
Qvippe putant multi, ſi non ex tempore poena
    Urgeat, oblitum criminis eſſe Deum:
Arſerat igne Dei qvondam viridiſſima vitis,
    Arida vix planta eſt effugitura rogos;
Si propiam prolem poenâ Deus urſit acerba,
    Impendent ſervo verbera qvanta malo!
Incolumem ſi te Domini clementia ſervat,
    Hoc age, qvod poſcit gratia tanta Dei.
Arbor ſum ſterilis, vitioſa & marcida planta,
    Ne veniat merito par mea poena ſuo;
Sed tu, qvi fueras arbor viridiſſima, ſerva
    Fronde ſub umbriferâ me, bone Chriſte! tua:
Mella ferens baculo fidei mihi tangitur arbor,
    Qvæ libans mentis luce micante fruor:
Adverſæ qvando fortunæ afflixerit ictus,
    O! Jeſu miſeri ſit tibi cura mei!
Influat in noſtras virtus tua viva medullas,
    Cor ſimul ac animam roboret illa meam!

CRUCIFIXIO CHRISTI.
ELEGIA XXXIII.

Iam tandem Chriſtus geſtans cruciabile lignum,
    Sangvine quod ſancto purpurat ille ſuo,
Venerat ad montem priſcis Calvaria dictum,
    Miles ubi Domino fella & aceta tulit;
Potio ſed talis, vix dum guſtata, rejecta eſt,
    Nec qvicqvam ſitiens qvamlibet ille bibit.

Blandi-




Blandiloqvus ſermo vulpino in pectore natus,
    Conditusqve dolis aſſimulatus amor,
Nec non ficta fide verâ contritio caſſa,
    Omnia mixta ſimul mella & aceta puto;
Qvæ qvamvis nitido ſplendeſcant tincta colore,
    Singula ſunt magno toxica ſpreta Deo.
Si ſit amara mihi tecum fortaſſe bibenda
    Potio, mi Jeſu! gratus utiqve bibam,
Qvem mihi propinas juſto moderamine juſtum,
    Suffice tu vires evacuare ſchyphum,
Æterni ſaltem mordacia pocula damni,
    Sint procul, atqve odii felleus iſte calix.
Inde cruci Jeſum nudum affixere furentes
    Tortores, ſævo terribiliqve modo,
Divinas clavis palmas plantasqve cruentis
    Transfigunt, penetrant qui ſimul oſſa, cutem,
Iamqve duos inter, ſcelerum qvaſi pompa, latrones
    Suſpenſus medius, Chriſte! Theander eras.
Omnia jam fiunt, nunc nunc impleta videmus
    Omnia vatidicis ante notata libris;
Sic Deus inqvit enim: ſervus meus undiqve juſtus
    Cum grege latronum connumeratus erat.
Jam meditor qvondam nudus ſub robore ſtabat
    Adam, luctificum pectus & ora gerens,
Nam bona non fuerant, nuper qvæ fecerat ille,
    Concepitqve animo nil niſi triſte ſuo;
Occultans ſemet Domino ſub ſtipitis umbra,
    Unde ſatus cunctis luctus & omne malum:
Nunc iterum Jeſus nudatus in arbore ſtabat,
    Suffixus cruce, mens-toſta dolore fuit;

Perbona

Perbona ſed fuerant, ſemper qvæ fecerat ille,
Huic tamen innumeri cauſa doloris erat,
Occultans ſemet nulli, tulit omnia aperte,
Omnibus hinc veniunt omnia læta piis.
Fixis nunc oculis video, ſanctiſſime Jeſu!
Diſtracta in ligno membra manusqve tuas,
Sunt qvia diſpaſſæ noſtro pro crimine paſſæ,
Unde rubens calidi ſangvinis unda fluit:
Per lignum ſanans & purgans crimina ligni,
De ligno pendens ſangvine, Chriſte! mades.
Qvas mea mens ſordes contraxerat ægra manusqve
Abluit omnimode ſangvis id omne tuus.
Gaudebam fatuus procedere tramite lato
Criminis, inde tui damna luere pedes.
Dirige qvod ſuper eſt noſtri veſtigia greſſus,
Ne labyrinthæam cogar inire viam.
O! utinam tecum, Jeſu! crucifixa maneret
Hæc mea deſipiens & male ſana caro,
Ut tibi commeritos animi conſtantis honores
Prorſus inoffenſo præſtet ubiqve pede.
Annumeratus eras fædis latronibus illic,
Qvi verus fueras, juſtitia ipſa, Deus,
Provenit inde mihi fructus, namqve omnibus olim
Propterea juſtis annumeratus ero.
Mentio grata tuæ crucis o! ſvaviſſime Jeſu!
Sit conſtans altâ mente repoſta mihi,
Dum regit hic ſocios flatus ſpirabilis artus,
Hos mea congeminet libera lingva ſonos;
Paſſio ſancta crucis Jeſu, qvâ præſtita nobis
Cuncta ſalus, mihi ſit perpetuata ſalus;

Qvod




Qvod donec ſpiro, veluti certiſſima ſpero,
Sperandum ſemper da mihi ſancta Trias.

PRIMUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.
ELEGIA XXXIV.

Qvando carnificum noſtrum crucifixit Jeſum
Turba ferox, jacuit ſed reſupinus humi,
Perfoſſis manibus pedibusqve extenditur illic
Ante patrem ſoboles, & Deus ante Deum:
Spectabat coelum facies veneranda, dolore
Horribili gemuit patris imago Dei;
Cev amplexurus patrem placantibus ulnis,
Brachia porrexit candidiora nive;
Stillabat ſangvis, fluxit lacrymabilis humor,
Illa unita Deo contremuitqve caro:
Cogitet hic qvisqvis, juſtam ne hæc omnia ad acrem
Vindictam poterant ſollicitare Deum;
Sed Jeſus patiens pro tantis hoſtibus orat,
Ut poſſent meritum participare ſuum.
Ignorant qvoniam, faciunt qvæ enormia cæci,
Condona miſeris O! Pater, inqvit, eis.
Hoc certe exemplum ſanctum, cev cætera Chriſti,
Sancte imitanda tibi norma & amuſſis erit;
Sunt vitanda tibi læſo convitia, diræ,
Et committenda eſt ultio tota Deo;
Si non læſiſti ſpeciali crimine qvenqvam,
Crimine læſiſti perpetuante Deum;
Illius in manibus turba eſt perverſa, cruentum
Cev flagrum, qvo te cædere jure poteſt;

Peſſima

Pessima qvæqve licet crudelibus hostibus optes,
    Horum subsidunt ira furorqve nihil;
Impatiens peccas, mens conscia læditur, atqve
    Hoc majus damnum pullulat inde tibi:
Fac, Jesu! tolerans casus patienter acerbos,
    Te seqvar infracto pectore cuncta ferens;
Immerito mihi qvi qvidqvam nocuere, precabor,
    Ad frugem redeant, sis & amicus eis.
Dæmonis illecebris mundi seducor & arte
    Sæpius, ignorans & mala multa patro,
Labilis assidue carnisque instinctibus erro,
    Et mea plus æqvo pectora noctis habent;
Intercede etiam pro me, mitissime Jesu!
    Transeat ut læsi vindicis ira Dei:
Unus & inter eos numeror, tibi causa dolorum
    Qvi fuerant, vario crimine nempe meo;
Me tibi commendo, tu me qvoqve, Christe! tuarum
    Commendes Patri sedulitate precum:
Tortores siqvidem voluisti taliter illos
    Intercedendo conciliare Deo,
Te scio velle mihi qvæqve optima, sum qvia Jovæ
    Gnatus adoptivus, frater & ergo tuus.
Qvando meæ tandem rumpuntur stamina vitæ,
    Et decet extremam mortis obire viam,
Ante tuos oculos passi versetur imago,
    Summe Pater! gnati flebilis illa tui.
Affixus ligno qvando miserabile vultu
    Obvertit lacrymans lumina mæsta tibi,
Hunc propter supplex te, mi Deus! o! Deus, oro,
    Parce mihi, cuncti fons & origo boni.



INSCRIPTIO CRUCIS CHRISTI.

ELEGIA XXXV.

Romanus Solyma Præses Pilatus in urbe
Inscripsit Christi talia verba cruci:
HIC JUDÆORUM REX NAZARENUS JESUS.
Haud gravior mortis causa reperta fuit;
Non procul & quoniam locus hic distabat ab urbe,
Sunt illa a multis verba relecta viris,
Quæ calamo fuerant triplici sermone notata,
Prætor ut hæc mutet, gens recutita petit;
Sed mutanda negat Pilatus & insuper inquit:
Quæ modo scripta dedi, scripta fuere semel.
Ecce crucis diro Christus de stipite pendens,
Egregium summi nomen honoris habet;
Dicitur hic Jesus, mundo datus ille redemtor,
Ditis ut agyrthæ destruat antra feri,
Qvi sic penderet, culpas ut penderet orbis,
Est cujus roseo sangvine parta salus.
Nazarei clarum nomen superadditur illi,
Labe etenim nulla contaminatus erat,
Nocte dieqve operans qvævis justissima, Patrem
Obseqvio placido demeruitqve suo,
Rex Judæorum Pilato dicitur, uncti
Davidis æternum sceptra verenda tenens,
Qvi sedet augustus solio venerabilis alto,
Gloria Judæis, gentibus atqve jubar.
Tam claro titulo Christum fraudare volebat
Judæ progenies invidiosa nimis;


Flagran-

Flagrantes odio ſcriptum mutetur nt illud,
Poſcunt, ſed Prætor ſcripta manere jubet.
Terminus elatis non eluctabilis unqvam,
Figitur a ſummo cuncta regente Deo;
Ut mare fluctivagum ſolidis compeſcitur oris,
Sic ſiſtit tumidos maximus ille ſtator,
Illius auxilio mea ſpes innititur amplo,
Qvid mihi tum faciet fumus inanis, homo.
Qvi crucis eſt apici titulus ſuperadditus alto,
Lingva, cev dictum, triplice ſcriptus erat;
Gratia certa Dei nam gentibus omnibus æqve
Orbis terrarum ſignificanda fuit.
Qvævis lingva tuos, Jeſu! commendet honores,
Dum valet expreſſo dicere verba ſono:
O! Jeſu, faxis, ſemper mea patria lingva
Hic tua divulget verba ſacrata crucis.
Hoc erit omnimodæ certiſſima cauſa ſalutis,
Donec alit populum patria noſtra ſuum.
Imminuit capiti noſtro damnoſa gravisqve
Symgrapha, qvæ varii cauſa doloris erat;
Nunc aliud Chriſto ſcriptum ſuperimminet, illud
Infenſum nobis diluit iſta graphe:
Electus Rex es, Jeſu! te Rege regente
Vivam, præſidio tutus ab hoſte tuo.

VESTIMENTORUM CHRISTI DIVISIO.
ELEGIA XXXVI.

Cum crucifixiſſet nudum fex Martia Jeſum,
Corporis arripiunt integumenta ſacri,

 Qvatuor



Qvatuor in partes divisis, obtinet illic
Qvisqve suam, tunica at textilis una fuit,
Illa & sorte data est, namqve inconsutilis uni,
Hæc spectans propius plurima turba stetit.
Omnes tunc nudo pendentem corpore Jesum
Videre, & fluxum sangvinis inde datum,
Talia probra ferens servator Christus, honoris
Eximium nobis culmen adire dedit.
Significatur & hæc Ecclesia vestibus illis,
Qvæ tunc bis binis præda fuere viris,
Qvatuor in mundi partes nam spargitur illa,
Evecto sponso nuper ad astra suo;
Omnia Divini mysteria svavia verbi
Tunica sed Domini textilis ista notat;
Dividit hæc qvando fallax sapientia carnis,
Suspensam mentem devius error agit.
Præterea Christo non æris acervus & auri,
Non domus aut qvisqvam fundus in orbe fuit,
Sed viles tantum vestes, & pauper amictus,
Qvem videt ereptum mæsta Maria sibi,
Namqve ipse in prædam cessit latronibus illis;
Ista dabit monitum res memoranda pium:
Sollicite nimium fugitiva pecunia nunqvam
Sit, speciosa licet, concumulanda tibi;
Qvotidianus enim victus, si vivere paucis
Contentus fueris, est & abunde satis;
Nam nescis, in qvas nummus dilabitur auras,
Terra tuos cineres cum rubicunda tegit,
Lictorum neqviit rabidum saturare furorem
Horribilis miseri passio tanta viri,

Nunc

Nunc emungendo loculos qvi pauperis Iri
    Diſtendunt proprios, crimina tanta patrant:
In cruce ſed nudus pendens, ſanctiſſime Jeſu!
    Debita ſolviſti qvæ-mea cunqve Deo:
Hoſtia læta mihi, lectiſſima cernitur illi,
    Placatus fuit hac ille, redemtus ego;
Hac mihi conceſſus fulgens hymenæus amictus,
    Et data juſtitiæ candida palla tuæ.
Calculus in noſtram feliciter incidit urnam,
    Cognita qvando mihi dogmata ſancta dabas;
Tangitur iſta mihi, Jeſu! tua fimbria mollis,
    Qvando luctificus mactat agitqve dolor;
Et mox præerapidus mæroris ſiſtetur undæ
    Fluxus, & evigilans ſcandit ad aſtra fides,
Qvamlibet hic mundus ridens ſua dividat æra,
    Nubila mors faciet jubila tanta ſemel;
Sorte mihi veniat Jeſu pars proxima ſanctæ,
    Chriſte! tuæ, mea qvæ gloria ſumma, cruci,
Qvo magis e ſancto ſtillantes corpore guttæ
    Irrorent animam, vivat ut illa, meam.

SECUNDUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXVII.

Sancta cruci Domini mater, mæſtiſſima virgo,
    Adſtitit attonito pectore & ore ſimul;
Illius, ut Simeon cecinit, præcordia mucro
    Perterebrat, ſummi nempe doloris acor:


 Adſuit



Adfuit & Chriſto lectiſſimus ille Johannes,
Quem deſignavit fulva tonantis avis.
Matri ſic fatur Jeſus : EN FICIUS illic
Eſt tuus! & caro mox ita diſcipulo :
Ecce tua hæc mater ! qui poſtea munere gnati
Fungitur , atqve orbæ vitæ alimenta dedit.
Morigeræ obſeqvium juſſit qvi flexile mentis,
Promiſit merito præmia digna ſuo,
Præmia at illa manent prolem, qvæ grata parentes
Allevat auxilio, ſumtibus, ore, manu.
Si cupis auſpiciis ſemper felicibus uti,
Iſtius exempli ſis imitator amans:
Iis pius affer opem, qvi te genuere, benignam,
Qvi fuerant vitæ proxima cauſa tuæ.
Qvælibet hinc etiam ſolatia dulcia carpit,
Qvæ jacet in viduo fæmina mæſta toro,
Si modo mente Deo caſta nitatur, & ejus
Mæroris pelago ſubruta qværat opem.
Denotat & cætum, qvæ nunc Eccleſia dicta eſt,
Virgo ſui patris qvæ pia mater erat,
Talis ſponſa Dei ſveta eſt perferre dolores,
Sortis & adverſæ ſæpius igne calet;
Alloqvio blando Jeſus tamen erigit illam,
Tutoris ſæpe & ſubvenientis ope.
Dilectis Jeſu ſors eſt lacrymabilis illa,
Qvod raro lætos aura ſecunda vehat;
Hi male jactantur lapſarum turbine rerum,
Qvando trifurciferos proſpera fata ferunt:
Sub cruce ſed ſtantes Jeſu patientis amici,
Membra ſui Domini ſangvinolenta vident,

Obtutu

Obtutu fideí luſtrantes vulnera Chriſti,
Qvalis & aſpectus cuncta moleſta levat;
Reſpicit hos iterum Jeſus affamine blando,
Erigit ambiguos, auxilioqve juvat;
Ferrea inexhauſti mæroris vincula rumpit,
Et numerat lacrymas optimus ille pater.
Fluctibus innumeris ſortis depreſſus iniqvæ,
Ad te, mi Jeſu! lumina ſæpe levo;
In cruce namqve mea tua crux ſolatia præſtat,
Hæc animæ reqvies, hæc mea vera ſalus;
Sunt panacea meo tua ſingula vulnera cordi,
Eſt ceroma mihi, qvi fluit inde, liqvor:
Cum calida attonito ſuſpiria pectore fundo,
Qvot fætus mentis, verba qvot inde fluunt,
Tot tua ſuffixi de ſtipite cernit amoris
Signa fides oculis illabefacta ſuis;
Totqve ſalutares fontes videt undiqve apertos,
Unde anima infando crimine preſſa bibat:
Si qvando aſpirat fortunæ optabilis aura,
Es, Jeſu! mentis meta ſcopusqve meæ:
Gargara fortunæ qvamvis florentia, nunqvam
A ſolido flectant me ſed amore tui.
Jonas qvi qvondam pelagi projectus in undas,
Sub luco recubans nulla moleſta tulit,
Nullus ſolis cum præfervidus æſtus aduſſit,
Umbra cucurbitæ enim dulce levamen erat;
Sed Jeſu crucis hæc magis umbra tuetur ab æſtu,
Ne mihi qvid noceat ſævior ira Dei.
Qvicqvid ago, qvalis veniat mihi gratia ſortis,
Me tua ſoletur ſvaviter umbra crucis;



Hic tranqvillus agam, rubeos tutusqve videbo
    Manantes rivos ſangvinis inde tuos:
Denıqve cum tandem nutantis corporis hujus
    Exuere induvias, morte vocante, decet,
Ante tuos o! Chriſte, pedes projectus adorans
    Emoriar; fuerit ſic mihi terra levis.


DE CONVITIIS IN CHRISTUM.
ELEGIA XXXVIII.

Suſpenſum variis Jeſum luſere cavillis,
    Qui tunc funeſtam præteriere crucem;
Quaſſantes capita in Dominum dicteria dicunt
    Plurima, & hunc probris impetiere ſuis;
Qvam belle, Domini deſtructa funditus æde,
    Exſtruat hanc iterum, qvam bene verba probet.
Hæc in concilio Caiphæ mendacia primo
    Falſiloqvi teſtes evomuere duo,
Qvæ ſparſa in vanum cenſetur fabula vulgus,
    Et ſic paulatim miſſa per ora virum:
Nunc Patriæ patres populus, templiqve miniſtri,
    In Jeſum jaciunt per ſua dicta ſales;
Clamabant: ſi tu ſuperi Patris unica proles,
    De cruce deſcendas, ſic tibi ſalva fides;
Juverat hic, ajunt, alios, ſibi neſcit at ipſi
    Auxiliatrices hac vice ferre manus;
Hæc per tres horas jaciebant ſcommata, jamqve
    Inſtabat Chriſti mors violenta Dei.
Vulnera qvos Domini Jeſu triſtiſſima noſtri
    Nulla movent, ut ament & venerentur eum,

Cum

Cum populo faciente Deo ludibria, credo,
Ludentes ejus præteriisse crucem;
Qvos tandem ſtimulans aut deſperatio torqvet,
Aut induratos ad ſtyga Alaſtor agit.
Nunc ad ſuffixum cruce te, ſanctiſſime Jeſu!
Accedo trepida plurima mente putans.
Da mihi, perſpiciam, fuerint convitia qvare
Jam deceſſuro tanta ferenda tibi?
Tantum fonte ſacro luſtratus culmen honoris
Conſcendi, templum dicar ut eſſe tuum,
Hoc penetrale Dei, peccati peſſima labes
Funditus evertens maxima damna dedit;
Spondebam certe magno promiſſor hiatu,
Hanc intra triduum reſtituiſſe domum:
Cum præſtanda fuit contritio vera fidesqve,
Inqve dies reliqvos vita novata mihi;
Pollicita at fuerant ſpecioſa hæc præſtita nunqvam,
In fumos abiit & data ſæpe fides;
Nunc probris læſus ſuffixus ab arbore Chriſtus,
Abſtulit hinc merito probra parata mihi.
Glorior immenſum fidei de robore, qvando,
Pando tranqvillo turgida vela ſalo,
Rebus in adverſis mox hic elanguit ardor,
Nullà fides, fidei nulla liguſtre patent:
Ergo me merito probroſa infamia manſit,
Sed pro me Jeſus omnia probra tulit.
Errantum videor varios reprehendere nævos,
Cæcus in erratis ſum tamen ipſe meis,
Probra igitur ſatyris fuerant conjuncta protervis,
Juſta mihi, voluit Chriſtus at iſta pati.

 In

In decedentem te, Jeſu! ſcommata ſanctum
    Exundaverunt innumerabilia,
Ut mea cum lethum vitalia lumina claudit,
    Sint deceſſuro cuncta qvieta mihi:
Hæc eſt certa ſalus, nunqvam confunditur illo
    Confiſa auxilio ſpes bona, Chriſte! tuo.
Qvando protervorum mala me convitia pungunt,
    Eſt mihi ſuffugium crux tua ſancta datum,
Hinc non avellar, mundi dicteria in iſto
    Tutus præſidio ſpernere cuncta qveo,
Qvandoqvidem moriens tanta es convitia paſſus,
    Gloria ſit, Jeſu! nominis ampla tui,
Nunc cælum tellus, nunc aliger Angelus omnis,
    Nunc genus humanum qvicqvid hic orbis habet
Omne genu ſupplex flectat, tibi ſerviat omne,
    Pergat & in laudes luxuriare tuas.


PÆNITENTIA LATRONIS.
ELEGIA XXXIX.

Unus Latronum poena mactatus amara;
    Illudens Chriſto, talia dicta dedit:
Si tu forte Dei ſis filius unicus illi,
    Nobis atqve tibi, qvam potes, affer opem:
Alter ait: tu non trepidas formidine magni
    Rectoris mundi, qvi tamen ipſe luis:
Ambo nos eqvidem juſte punimus, at ille
    Deliqvit nihil; & mox ita verba facit:
Qvando tui ſcandis divina palatia regni,
    O! Domine, immeriti qvæſo memento mei.

Cerni-

Cernimus hic primo peccati præmia fœdi,
Nempe induratum cor patiente viro,
Fac Deus, ut mihi ſint qvævis tua juſta flagella
Virga ſalutaris, qvæ meliora docet.
Et ſpectanda venit contritio vera latronis
Alerius, cui ſic pœnituiſſe datur;
Corripit hic ſocium, juſte pænasqve dediſſe
Plane commeritas dicit utrumqve ſuas:
Credidit & Jeſum regnorum coeli potentem,
Ipſis qvi ſimilis ſorte putatus erat;
Hunc igitur talem ſupplex petit ore modeſto,
Ut vellet ſaltem commeminiſſe ſui.
Omnes præſentes circa crucis undiqve lignum
Clamoſis probris obſtrepuere viri;
Chriſtus ad illa tacet, qvamvis ſibi dicta, latronis
Ad verba orantis non tamen ille tacet:
O! Jeſu, qvantnm tua me clementia tangit,
Mire famoſo præſtita nempe viro,
Illius ærumnæ plus te moviſſe videntur,
Qvam tua lugubris paſſio, probra, dolor,
Sic tuus errantes par eſt affectus in omnes,
Nec defervet adhuc ille paternus amor.
Hic prædo faciens enormia plurima, & usqve
Tempus ad hoc pergens in ſua damna ruit,
Noluit hæc Jeſus verbo tunc tangere: ſic eſt
Exſuperans Domini gratia grata mei:
Non eſt qvod moriens animum deſpondeat ullus,
Qvamvis diſtulerit poenituiſſe prius,
Nulla nimis ſera eſt, modo] ſit contritio vera,
Qvæ bene ſervanda eſt anchora ſacra ſpei,

Grati



Gratia namqve Dei non circumſcribitur ullo
Tempore, & hanc nunqvam denegat ille piis:
Mortis at ambiguo noli confidere puncto,
Criminibusqve Deum ſollicitare tuis,
Et ſic ad ſeram differre piacula mortem,
Hoc in aperta fuit nam dare damna caput.
Peccavi Domino, multo ſum crimine preſſus,
Ut cito convertar res monet atqve jubet,
Tuqve memento mei, Jeſu Dulciſſime! qvando
Me decet, ut reliqvos, mortis inire viam.


TERTIUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXX.

Reſpondit Jeſus verbis Latronis amice,
Orantis tanqvam ſunt memorata prius;
Amen dico tibi, Paradiſi gaudia mecum
Hac ipſa tibi ſunt inſinuanda die.
O! qvantum prodeſt homini contritio vera,
Conſtanti ſi ſit concomitata fide:
Ira Dei ſi qvando ſuper peccantibus ardet,
Hic dolor hanc ſedat, placat & ille Deum;
Si ſævit Domini vindictæ fervidus æſtus,
Deſævit lacrymis ore madente piis;
Arroſæ mentis contritio vulnera ſanat,
Hanc beat, Angelicos exhilaratqve choros:
Seria verba precum contrito e pectore miſſa,
Indubie trino ſunt pretioſa Deo:

Ut prius ex petrâ radiatus tempora vates
 Elicuit baculo flumina clara suo,
Supplicibus votis sic mæsto corde revulsis
 Elicitur facilis gratia corde Dei.
O! Jesu, similis tali sum forte latroni,
 Hilo nec melior, si mea facta putas,
Criminibus pressus, nunc mente & corpore fessus
 Pervenio supplex ad tua ligna crucis,
Inde mihi videor nudum te cernere, & ulnas
 Pandentem, stillat sangvinis unde liqvor:
Hoc animæ mæstæ præstat solatia nostræ,
 Cui fructus meriti provenit inde tui;
Namqve isti latices mea sordida vulnera purgant,
 Labro mundatus qvo bene mundus ero.
Iam super astra sedens cruciatu liber ab omni,
 Rex Regum Jesu Christe! memento mei;
Mane mihi dicas summo cujusqve diei,
 Talia vota mihi sæpe iterata fluunt:
In mundo qvamvis hodie versere rotundo,
 In cælo mecum cor tamen esto tuum:
Qvando soporiferæ me vis vocat horrida mortis;
 Dicas hæc animæ svavia verba meæ,
Suscipe mox hodie solidissima gaudia mecum,
 Qvæ nulla fuerint interitura die.
Qvanqvam non species illic divina fuisset,
 Ac ne humana qvidem sat speciosa tibi;
Attamen heic pendens fueras, sanctissime Jesu!
 Omne regens Dominus, cælipotensqve Deus;
Qvi dare demoriens poteras Paradisia Regna,
 Qvænam non poteris jam dare dona tuis.

Contra



Contra vim mortis ſurgit fiducia mentis;
    Hinc mihi qvotidie non peritura ſemel,
Qvod felix ſine fine qvies, ſine fine voluptas
    Mortis ſperanda eſt approperante die.
O! Jeſu, tua verba crucis ſolatia firma
    Sunt mihi, dum vivo, ſint in agone mihi.
Deniqve & Edenios ſalvandum transfer in hortos,
    Mox ubi coeleſti nectare potus ero.

QVARTUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXXI.

A ſexta ad nonam tenebris offunditur horam
    Terra omnis, lumen ſole negante ſuum:
Mi Deus! exclamans Jeſus, o! mi Deus! inqvit:
    Cur me liqviſti? verba notanda bene.
Abſit, ut hæc dicens Jeſus trepidaverit, aut ſpem
    Perdiderit, fractus qvomodocunqve malis;
Sed vim peccati, cruciatus atqve dolorem,
    Oſtendit, ſcelera & qvid meruere, docet:
Labe carens oculus mundi radiatus apertum
    Subtraxit lumen ſol patiente Deo:
O! qvanto pudeat magis hos, qvi crimine tanti
    Tormenti Domino cauſa fuere ſuo;
Qvot modo deberem dare ſigna rubore pudoris,
    Te reputans pœnas ſuſtinuiſſe meas,
Pro me mæſtitiæ es tam vaſto vortice merſus,
    Oſculor ergo tuos advenerorqve pedes.

Plangor

Plangor in extremis tenebris ululabilis, atqve
Stridor erit, merita hæc & mihi pæna fuit;
Sed Jesum passum tenebræ tenuere minaces,
Ne qvondam tenebris obruar, orce! tuis:
In tantis tenebris o! Jesu, flebile clamans,
Me simul in cæli lucida regna vocas;
Hac in luce tuos celebrabo lætus honores,
Æternum dulci jubila voce canens.
Nunc peccatorum, variæ nunc sortis iniqvæ
Umbriferis tenebris, hev mihi! sæpe tegor,
Auxilii lumen, solatia sæpe reqviro,
Qvæ mea non raro mæsta qverela fuit;
O! sol justitiæ, tenebras dispelle molestas,
Tempora largire & lucidiora mihi.
O Jesu! didici te tale docente magistro,
Qvod seqvar exemplum, qvodqve monenda monet,
Mi Deus! exclamo, repetens hoc, mi Deus! unum,
Qvando crucis rigidæ me grave vexat onus:
In mortis tenebris, o! mi Deus, omnia mundi
Gaudia cum fugiunt, mi Deus affer opem!
Dixerat afflictus Jesus se a patre relictum,
Nunqvam me afflictum deseret ergo Deus,
Sed propter Christi gemitum meritumqve per omne
Vel tandem gemitus audiet ille meos.
Cessante auditu, visu, voce atqve loqvela,
Qvando summa mihi fit sine sole dies;
Mi Deus! hæc Jesu tristissima verba memento,
Et clemens animam commiserare meam.

QVIN-


QVINTUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXXII.

Paulo poſt Jeſus, ſitio, mœſtiſſimus inqvit;
Seqve ita qveſturum vaticinatus erat;
Illico correpta eſt jacuit qvæ ſpongia mollis,
Hæc & arundineo ſtipite fixa levi,
Moxqve ſitibundo fæcem mordacis aceti
Propinat Domino Martius iſte latro.
Mirandum eſt Regem terræ coeliqve potentem
Tantis ſubjectum totqve fuiſſe malis,
Qvi prius in vinum collectum palmite nullo
Mutavit fluidam numine fontis aqvam;
Hic fuit emoriens acido potatus aceto,
Qvod tamen ambiguum eſt, ſiſtat, alatve ſitim.
At nunc in vinum cur non mutaret acetum?
Qvandoqvidem potuit, ſi placuiſſet ei:
Adveniſſe ſcias tempus, miracula Chriſto
Qvo fuerant ſolito non facienda modo,
Hora ſed inſtabat præſens, qva paſſio triſtis,
Et mors terribilis perpetienda fuit:
Facta qvidem Jeſu monſtrabant mira fuiſſe
Hunc vere æterno Progenitore ſatum?
Contra verus homo, capitalia debita noſtra
Qvi bene præſtiterit, paſſio ſancta docet:
Ille miniſtrabat nobis ſanando dolores,
Sed patiendo fuit victima grata Deo;
Humanæ vires naturæ ſtantis in armis
Defecere omnes, Chriſtus & inde ſitit:

Deinde

Deinde tuam ſcito Jeſum ſitiiſſe ſalutem,
    Hancqve ſitim genuit fervidus ejus amor;
Sed te ſubpudeat, ſiccum qvod talis amoris
    Cor vitale tuum non premit ulla ſitis:
O! mea mens dulcis vitæ ſpirabilis aura,
    Obſerva, qvid ait ſponſus amore calens.
Mæroris noſtrum cor nunc in fluctibus aret,
    Ne te demergens obruat unda mali:
Sed tu qvid Chriſto propines, ejus & acrem
    Qvo poteris gelido fonte levare ſitim;
Perverſæ mentis calicem ſimulamine mixtum
    Ferre ſitibundo qvis neget eſſe ſcelus;
Sit tibi relligio pariter miſcere fabellis
    Verba dei, nihil his detrahe & adde nihil.
Qvamvis nunc interrumpant ſuſpiria vocem;
    Verbis noſtra echo ſuccinit iſta tuis;
Te, Jeſu! ſitio, ſitio tua lata favoris
    Flumina, qvæ elargo limpida fonte fluunt.
Nil mihi jam ſupereſt, qvo te potare vel auſim,
    Vel potero, miſero nulla falerna mihi,
Ni paucæ lacrymæ & ſimplex fiducia mentis,
    Qvæ, precor, accipias, conſule & iſta boni.
Qvævis lingva tibi, Jeſu! det munera laudis,
    Cujus tunc lingvam preſſit acerba ſitis;
Et mea te laudet, qvod nunc ſum liber ab omni,
    Qvæ metuenda fuit, diſcruciante ſiti.



SEXTUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXXIII.

Iam propinatum Jesus gustavit acetum,
Et, CONSUMMATUM est, emoriturus ait.
Hoc verbum Christi sanctè meditabimur, unde
Dulcia devotus gaudia mente capit,
Hæc ut possimus recto cognoscere sensu,
Nosse Dei summi prævia scita juvat:
Ille dedit legem per se sane omnibus æqvam;
Qvæ fuerat vitæ regula plana piæ,
Justitiam sanctam sancto de corde fluentem,
Et totum sanctum postulat illa virum:
Est promissa salus perfecte implentibus illam,
In minimo lapsis mors obeunda fuit;
Adam sed postqvam coelestia fædera rupit,
Et fregit legis jussa verenda Dei,
Aspera terricolis impletu lex ea nullis.
Possibilis fuerat, qvippe severa nimis;
Intolerabilibus poenis obnoxius omnis
Factus homo, nova spes nulla salutis ei;
Aut implenda gravis lex partibus omnibus illa,
Aut gens nostra omnis deperitura fuit:
Filius ergo Dei coelis oriundus ab altis,
Legis onus, legem qvi tulit ipse subit,
Hanc subiens totam vice nostra impleverat illam,
Illamqve implendo præstitit omne Deo:
Criminis at totum qvo solveret ille reatum,
Supplicium crucis & limina mortis adit.

Omni-

Omnibus impletis, qvæ nos feciſſe decebat,
Impleta hæc eadem prædicat ille palam,
Ergo ſervator voces erumpit in iſtas,
Clauſurus vitam morte minace ſuam,
Ut cum nos feriet mortis dentata bipennis,
Omne ſuum meritum pectora noſtra levet.
O! qvam læta crucis Jeſus proclamat ab ara,
Conſummata ajens qvæ benefacta tulit,
Sunt impleta, inqvit, veſtram reparare ſalutem,
Omnia, qvæ poterant, coelica porta patet:
Pro vobis lex eſt perfectè impleta, piorum
Impleta & vatum qvæ monumenta ferunt:
Pro vobis lythrum perfecte ex aſſe ſolutum,
Vobis perfecta eſt gratia parta Dei:
Imperfecta mihi qvævis perfectio plena
Impleat o! Jeſu, perficiatqve tua;
Implendo legem complebas omne ſalutis
Noſtræ opus; æterna eſt jam mihi vita mori.

SEPTIMUM CHRISTI VERBUM IN CRUCE.

ELEGIA XXXXIV.

Poſtremo Jeſus clamabat voce ſonora,
Conſtituens diræ mortis obire vicem,
In manibus ſervata tuis reqvieſcat ut illa,
Summe parens! animam ſuſcipe, qvæſo, meam.
Corde pio Chriſti meditanda aſperrima mors eſt,
Et qvæ protulerat, verba notanda bene;

 Cum




Cum nullis æqvanda malis mala plurima Jesum
Urgerent, diræ & vis furiosa necis,
Æternum Patrem, Patrem super omnia verum
Appellat Patrem non minus ille suum:
Me docet hic Jesus, qvamvis premat alea sortis,
Velle mihi patrem sic tamen esse Deum,
Per Jesum potero Dominum mihi dicere patrem.
Dilectum, vigeat si mea vera fides;
Nam pater ut prolis miseretur amabilis ægræ,
Sic mihi commiserans cor habet ille pater.
Constat & hinc animam, jaceat cum funus inane,
E gelido raptam corpore, luce frui;
Illa ubi sit reqviem constatqve habitura perennem,
Est ea coelestis mansio dextra patris;
Qvicqvid agis, Domini fac te manus optima ducat,
Sic ea te tandem ducet ad astra manus;
Hancqve manum nunqvam, cædat licet illa, retundas;
Castigans hominem palpat & illa manus:
Qvando destituit manus imbecillima mundi,
Sit manus hæc Domini proxima meta tibi;
Mox oriente die, mox decedente memento,
Talis ut aptarum sit tibi forma precum,
Hanc animam commendo meam tibi, summe Monarcha!
Qvi regis astra poli, qvi regis arva soli;
Crede tuam moriens animam sic Regis Olympi
Nacturam sedes inter utramqve manum,
Hanc ubi non torqvet magis Ilias ulla malorum,
Sed faciem Domini libera læta videt.
Præterea Jesus jam jam moriturus, Ebræi
Psalmographi formam cepit ab ore precum:

Sint

Sint tua norma precum divini oracula verbi,
Qvod vires voti roborat, atqve fidem.
Tu mihi me miserans placidus Pater o! Deus, esto,
Et tua me ducat blanda paterna manus;
Hæc manus omnipotens foveat, me & conferat omne
Auxilium, mundo suppeditante nihil:
Si qvando tua me manus arguit aspera flagris,
Osculor hanc, virgas osculor atqve tuas.
Succure, ut felix elucter mortis agonem,
Tum Pater hanc animam suscipe, qvæso, meam;
Sic moriens vivam pauperrimus omnia habebo,
Huic mundo dicens tempus in omne vale.
O! Jesu, tua corde gero crucis ultima verba,
Ultima & in mundo sint ea verba mihi.

DE MORTE JESU.
ELEGIA XXXXV.

Tum caput inclinans Jesus post ultima verba
Emoriens animam tradidit ipse suam:
Præco Dei Paulus peccati præmia mortem,
Crimina & ejusdem tela cruenta vocat;
Dispereat peccans infandæ mortis in æstu
Qvilibet, hoc sanxit lex onerosa Dei;
Talia at ad justum qvid verba minacia Christum?
Qvi vacuus fædo crimine totus erat,
Qvemqve tori genuit lectiqve ignara jugalis
Nympha decus coeli, numine plena Dei.
Nec poenam meruit Jesus, nec fulmina mortis,
Cur igitur voluit sanctus utrumqve pati?



Aut cur punitur pæna indigniſſimus omni,
Cur moritur vitæ fons & origo Deus?
Spiritus æternus cauſam nos edocet illam,
Crimine pro noſtro vulnera paſſus erat:
Livores ejus noſtri medicina doloris,
Hujus ago nobis pax oleata fuit.
Ipſe luit patiens immundi crimina mundi,
Pro meritis mortem mortis agona ſubit;
Ut nos vivamus, vitales exuit auras,
Omnia pro nobis fecit, & omne tultit.
Transgreſſum legem me manſit crimine digna
A tergo tacito pæna ſecuta gradu,
Conſcia mens torſit, mortis vis irruit, & me
Conſtrictum vinclis hæc tenuere ſuis.
Peccatum ſeqvitur qvod fit transgreſſio legis
Culpa gravis, culpam mors truculenta ſubit,
Mortem judicium, ſententia judicis acrem
Expoſcit poenam, poena perennis erit:
Sed Majeſtatem Chriſti lex læſerat, illum
Damnando legis qvi tamen auctor erat;
Sit maledictus, ait, moriens in ſtipite, & illud
Urſerat effatum mors furioſa ferum.
Nunc legis vires Jeſus infregit, & omne
Abſtulit a nobis prægrave legis onus,
Sunt infracta ſimul damnoſæ ſpicula mortis,
Carceris atqve ejus vircula rupta jacent;
Mors æterna jacet demortua, mors tua, Jeſu!
Vicet eam, mea mors jam pretioſa Deo;
Mors ubi nunc tua vis: mors eſt ad limina vitæ
Svave iter, eſt lucrum mors benedicta mihi,

Mors


Mors tantum fluxæ dirumpit ſtamina vitæ,
Et facit aggeſto membra jacere ſolo;
Spiritus in ſummo vivit ſecurus olympo,
Imperii brevis eſt terminus iſte necis.
O! Jeſu, tua mors vitam mihi reddidit, ægrum
Illa machaonia cor mihi ſanat ope:
Vis divina tuæ mortis perrumpat aheni
Fibrarum cordis ferrea clauſtra mei,
Ut noſtræ qvævis effrena piacula mentis
Ejus in occulto commoriantur agro.
Tu caput inclinas clauſurus funere vitam,
Qvo nutu monitum me ſimul eſſe puto;
Me puto ſic monitum, funeſtam pectore mortem
Ferre tuam, tanta eſt qva mihi parta ſalus;
Sic oculos moriens ad te, mea vita! levabo,
Inſtar ſit moniti nutus & ille tibi:
Perqve tuam mortem, mortis fortiſſime victor!
Sit felix mortis, cum venit, hora meæ;
Ut corpus placide terrâ reqvieſcat in uda,
Spiritus in manibus trina monasqve tuis.

SIGNA IN MORTE CHRISTI FACTA.

ELEGIA XXXXVI.

Rumpitur aulæum Chriſto moriente ſuperbum,
Diviſit Templi qvod loca ſacra Dei;
Dat fremitum tellus imis agitata cavernis
Concuſſa, & longis tractibus icta ſonat;

 Diffiſſa



Diffissa in terram crepitantia murmure rauco
Sedibus acta suis grandia saxa ruunt:
Mox adaperta patent hominum monumenta piorum,
Corpora & in bustis vivificata suis;
Hiqve resurgebant, postqvam redivivus apricam
Christus devicta morte revisit humum;
Deniqve congesto circumdata mœnia vallo
Ingressi, multis spectra fuere viris.
Tristia diruptæ spirant præsagia rupes,
Extremum Christo sic obeunte diem;
Asperior solido est adamante & marmore denso,
Omnibus & saxis, qvæ tulit alma parens,
Qvi siccis oculis, immotus fronte serena
Hanc Jesu mortem commemorare potest:
Qvi venit inde piis fructus, vix candidus unqvam
In tam callosa & frigida corda fluit.
Mirandum dictu, terram titubare recussam,
Et ruere horrendo saxa fragore suo,
Sed solos homines altum dormire veternum,
Pro qvibus & solis Christus id omne tulit.
Ista sed expansi sacri ruptura notabat,
Qvæ prædixerant verba diserta Dei;
Ampla sacerdotum & Levitica munera, regnum
Gentisqve Abramidum mox abolenda fore.
Plurima ab ingressu coelorum obstacula lapsos
Arcebant homines, crimina, culpa, scelus;
Morte sed hac Christi velum disrumpitur illud,
Et sanctissima nos omnia adire licet;
Per Jesu mortem namqve est via strata salutis
Omnibus ad summi regna beata poli;

Omnibus & patet hic felix ecclesia mater,
Blanda favoris ubi personat aura Dei.
Cepere & Christi de mortua corpora mortis
Fructum, vis cujus busta adaperta facit,
Æthereasqve iterum revocari lucis in auras,
Morte etenim Jesu mors superata fuit.
Idqve notâ dignum, potuisse exire sepulchris
Haud qvenqvam, Dominum morte tenente suum,
Nam virute sua propriâ primusqve resurgit
Christus, & hinc nobis vis rediviva venit.
Talia Judæi totqve horrida signa videntes,
Attoniti moesto pectore dicta dabant:
Næ satus ille Deo fuit, & justissimus una,
Pectora plangentes & reäiere domum.
Horum nunc mæror præcordia frigida rodit,
Supplicium Christi qvi petiere prius;
Cautus agas, dignus fuerit si vindice nodus,
Nam mens præcipitans in mala qvæqve ruit.
Exseruit, Jesu! divinas mors tua vires,
Splenduit in tenebris luxqve corusca nigris,
Qvando gentilis cor sic illuminat, ut te
Æterni gnatum noverit esse Dei:
Luceat in tenebris sic lux tua splendida nostri
Cordis, ut a pravi tramite flectat iter.

DE AMICIS CHRISTI.

ELEGIA XXXXVII.

Affixum ligno Jesum, morientis amici
Cernentes, multis fletibus ora rigant;

Fæmineumqve genus, lethalia vulnera ſpectans
Stabat, & hæ lacrymis emaduere ſuis.
Hic patet inſtabilis qvam ſit rota ſtridula mundi,
Obliqvo verti qvæ levis axe ſolet:
Qvando tibi finis decreti venerit ævi,
Nil ſatis, in vaſto qvod fuit orbe, juvat;
Sed nec amicitiæ prodeſt venerabile nomen,
Nec proſunt auri mille talenta rubri;
Qvamlibet auxilio vellent ſuccurrere amici,
Contra vim mort.s non juvat iſta manus,
Qvæ qvamvis foveat langvens medicamine corpus,
Expers humanæ eſt ſpiritus æger opis.
Ne ſit amicitiæ cum peccatoribus ulla
Cauſa tibi, ſi vis fauſtus obire diem;
Unicus exiſtat Jeſus tibi ſummus amicus,
Sed mundi parvi penſus amarus amor;
Hic cum deſtituit, promtiſſimus adjuvat ille,
Præſtando vitæ nobilioris opem.
Qvi Jeſum paſſum complectebantur amore
Summo, ſummus eos urget agitqve dolor;
Chriſto dilecti ſunt hic moeroris alumni,
Caſtigat, ſed non deſerit ille ſuos;
A cruce qvamlibet hic ſteterint procul ejus amici,
Omnibus & pariter cernitur ille tamen:
Ad crucis hoc lignum, ſeges agglomerata malorum
Qvos premit & pungit, ſexus uterqve veni;
Qvæcunqve adverſi patiaris fulmina fati,
Hic panacea potens, hic medicina datur;
Hic oculos fidei rubicunda ad vulnera Chriſti
Adverte, et fortis ſpem melioris habes;


Hic namqve aſpectus lacrymas abſtergit amaras
    Temperat hic luctus, elevat hic gemitus:
Si te lethiferæ pungunt contagia vitæ,
    Cerne Deum paſſum, crimen ut omne piet,
Aſpectus colubri qvondam pendentis aheni,
    Corporibus populi cauſa ſalutis erat,
Aſpectus magis at pendentis in arbore Chriſti,
    Serpentis ſtygii virus inane facit;
Peccatum tantum nunqvam comittitur ullum,
    Æternæ poterit qvod dare damna necis,
Si ſatis attentis Jeſum tua cernit ocellis,
    Mens contrita proba concomitata fide.
Eminus aſpicio te nunc, dulciſſime Jeſu!
    Hic lacerum corpus, ſaucia membra patent;
Vulnera qvando mea intueor, tremor occupat artus,
    Sed tua ſolamen vulnera ſola meum:
Tam procul haud unqvam fac a te, Chriſte! recedam,
    Qvin me ſoletur viſio grata tui:
Qvamvis deſtituat me ſani corporis uſus,
    Et ſimul aurifero lecta metalla Tago,
Integer, o! Jeſu, fac, ſim tibi ſemper amicus,
    Omnibus & vacuo ſuppetet omne mihi.
Demando corpus vitæ & ſpiracula noſtræ
    Semper amicitiæ, frater amice! tuæ.

LATUS CHRISTI LANCEA TRAJICITUR.

ELEGIA XXXXVIII.

Veſpere Judæi ſubeuntes tecta Pilati,
    Optabant tolli corpora fixa cruci;

Cauſa



Causa fuit prægnans illud tentare precando,
Festa propinqvabat nam celebranda dies:
Hic crucifixorum confringere martis alumnos
Ossa jubet, modo qvæ fracta duobus erant,
Sed membrum Christi nullum tetigere tyranni,
Jam qvia mortales clauserat ille dies:
Unus at illorum frameá latus impius hausit
Christi, qvem vitæ liqverat aura suæ;
Hic qvando cordis rimatur cuspide fibras,
Fluxerat inde rubens sangvis & humor aqvæ.
Corpora sunt Domino curæ post fata suorum,
Cev fuerant animâ qvondam animata sua,
Ossa etenim clauso putrefacta carne sepulchro
Sanctorum penitus non peritura finit,
Qvorum relliqvias fragiles fractasqve minutim
Ille velut solidas consolidare potest.
Ex latere Adami formosa est condita pridem
Prima parens, illum dum sopor altus habet,
Expergefactus nomen simul indidit illi
Protopater sapiens, conveniente modo:
Nunc lateris vulnus sopitus morte cruenta
Christus habet, thalamos dum parat ipse suos:
Condita nam fuerat nascens ecclesia Jesu
Sangvine, & hæc clarum nomen adepta suum,
Postqvam flammigerum victor conscendit olympum,
Sedit & ad dextram Rex super omne patris;
Monstrat & effusus Christi de vulnere rivus,
Mystica Baptismi qvid notet unda sacri,
Lympha patet cunctis, sed Jesu sangvine mixtam
Justificæ fidei lumina sola vident.

Qvam

Qvam felix Thomas, lateris qvod vulnere tacto,
Christe! tuo, fidei lumine tactus erat:
Sic fidei sanctæ manibus super astra levatis,
O! utinam possem tangere vulnus idem.
Largifluum Jesu venæ sparsere liqvorem
Omnes, eum faceret flebile mortis iter;
Omnia sangvineo rorabant flumine membra,
Guttula qvæqve fuit victima grata Deo:
Sed qvia nos tantum dilexerat, inde recessus
Occlusos cordis noluit esse sui;
Intima nam saliens arteria pectoris ejus
Panditur hic nobis, fons ut amore scatens.
Intravere fores animalia singula latas,
Qvas habuit justi nobilis arca Noæ,
Et virtute Dei poterant ingressa per illas
Tuta in mortiferis omnia vivere aqvis:
Ecce fores vitæ latus hoc penetrabile Christi
Pandit, ubi portum vir moriturus habet,
Qvisqvis id effugium petit & permansit in illo,
Non est in mortis deperiturus aqvis.
Lamechides qvondam jactata vectus in arca,
Sustulit ad celsum lumina sæpe polum,
Horridulum coelum, montes dum volvit aqvarum,
Lucida percupiens astra videre semel:
Mæstus perspiciens Jesu præcordia sancta,
Sæpius in coelos lumen utrumqve levo;
Moxqve mihi splendens divini fulgor amoris,
Mæroris tenebras pellit abunde meas.
Legiferi Mosis baculo percussa stupendo,
Petra dedit largam vim fluitantis aqvæ,

Castra



Caſtra per Abramidum promanans lymphidus humor,
Sedavit ſparſam toſta per ora ſitim:
Iratus qvando feriit cor Jova bacillo
Unigeni gnati morte furente ſui,
Lympha ſalutifera in partes diſpergitur omnes
Orbis, & hinc melius ſiſtitur orta ſitis:
Feſſus ad hunc vitæ fontem mea langvida membra
Reſtituo, vires accipioqve novas.
Tutus in his latebris ſum contra fulmina mortis,
Inqve tuo, Jeſu! vulnere cordis ovo:
Eſt mihi cor variâ peccati labe cruentum,
Sangvinis eluat hanc guttula qvæqve tui,
Et ſiſtat nimium vitioſi pectoris æſtum,
Qvem male potatis criminis hauſit aqvis.
Qvæqve meo ſaliens calido ſub pectore vena,
O! Jeſu ſcateat laude & amore tui;
Qvævis gutta tuo ſtillans de corpore ſancto,
Sic cujusqve boni ſit mihi vena ſcatens;
Qvævis lingva tuas jam laudes intonet, orbis
Qva patet Eous, qva patet Occiduus.

SEPULTURA CHRISTI.


ELEGIA XXXXIX.

Civis Arimathius clarusqve ſenator Joſeph,
Acta ſacerdotum perfida nulla probans,
Diſcipulus Chriſti, qvamvis privatus, opumqve
Dives, & eximiæ vir pietatis erat;
Præſidis hic venia Jeſu venerabile corpus
Detraxit ligno ſangvinis imbre madens;

Emerat

Emerat ille prius nova lintea candida, ut illis
Involvat Domini pallida membra sui:
Et Nicodemus adest, admixtaqve pondera myrrhæ
Messis aromaticæ sat pretiosa tulit:
Incisum rupi Joseph possedit in horto
Bustum, qvo nullus conditus ante fuit;
Deponunt illic divinum corpus inunctum,
Obstructas lapide & deseruere fores:
Magdala, Salome, & Jacobi dicta Maria,
Matronaqve aliæ præsto fuere bonæ,
Funeris extremum mæstæ ut comitentur honorem,
Solventes Domino debita justa suo:
Harumqve in numero mens devotissima Christo
Qvamlibet exiguo tempore siste gradum:
Ad gelidum Jesu comitarier ossa sepulcrum
Cerno duos, qvorum pendula prima fides,
Numinis afflatu nunc his fiducia surgit,
Inqve Deum pietas officiosa viget:
Sic sensim fidei scintillam suscitat ægræ;
Spiritus æterni tertia flamma Dei;
Luceat ut tandem rutilanti lumine, donec
Fulmineas vires exserit illa suas.
Ne metuant, qvibus est fidei vis langvida, at ejus
Incrementa petant insinuanda piis.
Fac, Jesu! suspensa fides mea crescat, amorqve
Qvotidie, ut fructus dent nova signa boni.
Deinde notes, Domino non displicuisse piorum
Exseqviis qvamvis sit datus æqvus honor:
Vir pius hic fuerat sancti spiraminis ædes,
Mortuus est igitur dignus honore dato;

Fune-



Funebria hic justum retinent convivia nullum
    Stulta locum, magis at defugienda bonis,
Paganis prisci mos gentibus orbis avitus
    Christianos minime barbarus ille decet.
Illatum tumulo semper cum cernis aperto,
    Qvem rapuit rabidæ vis violenta necis,
Indoleas, volvasqve animo, qvod mortis & ista
    Semita sit præceps mox ineunda tibi;
Funere deposito, credasqve, susurret in aurem
    Mors tibi: post paulo te manet iste locus.
O! bone servator, cujus mandata sepulcro
    Finitâ vitâ membra fuere semel,
Fac, mea sit felix mors, fac mea, membra sepulta
    Terra tegat placide, restituenda Deo,
Sed mea divinæ sine corpore particula auræ
    Ascendat nitidi læta theatra poli.
Insuper hæc Jesu reqvies telluris in alvo
    Nostræ in sarcophagis est reqvietis honor;
Sanctificavit enim sanctis sanctissima Jesu
    Rite sepulta caro busta parata piis:
Nostra sepulcra igitur sunt dormitoria tantum,!
    In qvibus haud qvidqvam, mors! tua regna valent.
Da mihi, summe pater! miseram sic vivere vitam,
    Ultimus ut mihi sit lenis in orbe sopor;
Da mihi sicqve mori felici mortis in hora,
    Ut decedenti sit mihi vita mori;
Daqve meum tandem sepeliri corpus honeste,
    Ut vellet justus qvisqve vovere sibi.

DE

DE CUSTODIBUS SEPULCRI.

ELEGIA L.

Poſtridie injuſtum grandes adiere Pilatum
Primores populi, ſic placuitqve loqvi:
O! Domine illuſtris, qvænam falſarius iſte
Dicta dedit, noſtra mente repoſta manent;
Poſt triduum, dixit, vivens a morte reſurgam,
Hic præpoſtera nos cautio nulla juvat,
Fac igitur, caute ſerventur ut oſtia buſti,
Tertia dum coelum triverit axe dies:
Ejus diſcipuli forſan de nocte ſepultum
Surripiant funus, dimoveantqve loco;
Et dicant populo redivivum pulvere terræ
Egreſſum corpus, luce nitente frui;
Inde nihil mirum, qvod inextricabilis error
Pullulet, & forſan deteriore modo:
Cuſtodes ſtatuit ſyriis hic prætor in oris,
Excubiis ſvetos invigilare ſuis:
Et munit lapidem præluſtre torevma ſigilli,
Proceſſus tragici finis & iſte fuit.
Gens Judæa truci fuit hæc truculentior omni
Tigride, ſarmaticis aſperiorqve jugis,
Qvorum non poterant ſævum ſaturare furorem,
Omnia, qvæ patiens Chriſtus acerba tulit;
Nunc & in exanimem cumulant convitia Jeſum
Maxima, cui tandem parcere tempus erat:
Abſit, ut in qvemqvam ſtolide dicteria dicas,
Qvem ſecuit mortis falx peracuta feræ;

Judicis



Judicis ad summi concesserat ille tribunal,
Est ita judicium prorsus inane tuum:
A te principium, rerum tibi cura tuarum
Sit magis, & propriam verrere disce domum:
Omnia Judæi meditantur pessima Christo,
Propositum Deus at perficit omne suum:
Si non famosi servassent claustra sepulcri
Custodes cura pervigilante sua,
Forsitan uberior dubitandi causa fuisset,
Christus an evicta morte redisset humo;
Impia sed tantum magnum & memorabile verum
Testatum dederat pervigil ista cohors,
Auro corruptos qvamvis contraria fassos
Fecissent illos ora proterva reos:
Irrita pravorum nutu molimina reddit,
Splendida ter sanctus qvi regit astra Deus;
Illius æternum durat veneranda potestas,
Sed veteratorum fraus male cæpta perit.
Jam tandem facio mentis reqviescere motus
Ad bustum, Jesu Christe beate! tuum;
Qvando te meditor gelido in recubasse sepulcro,
Fit mihi sarcophagi mentio grata mei:
Crimina portasti patiens mea, morte cruenta
Delebas eadem, nubila ut aura fugat;
Illa recondideras clauso tumulatus in antro,
Omnia lethæis mersa teguntur aqvis:
Sic obsignatum scelus est, clausumqve sepulcro,
Sic pia mens justo conciliata Deo:
Contra justitiæ reserata est grandis abyssus,
Omni credenti qvæ patet atqve scatet;

Mors

Mors tua, mi Jesu! sit mors affectibus illis,
Corruptæ carnis, qvi mihi sæpe nocent,
Contegat atqve tuum mea crimina triste sepulcrum,
Vita resurgentis sit nova vita mihi.
Ecce mei cordis cava saxea crypta parata est,
Qvam dedit ornatam numinis aura tui:
In promtu fidei sunt lintea, balsama præstet
Mens contrita, tibi nardus odorifera:
Sic in corde meo reqviescas, optime Jesu!
Inqve tuo mihi sit pectore blanda qvies:
Spiramen sanctum nostri qvæqve intima cordis
Muniat, hic ut sit mansio firma tibi.
Gloria & omnis honor, sapientia, summa potestas,
Maxima laus, virtus, eximiumqve decus
Sit tibi, cunctorum JESU Rex maxime regum!
Terminet hæc nunqvam terminus ullus;

AMEN!



EPICEDIUM.

HALLGRIMUS fuerat noſtras celebrimus unus
Petræus, patriæ floſqve decusqve ſuæ,
Ingenio præſtans, paucis pietate ſecundus,
Chriſto devotus pectore, voce, fide;
Iſte poeta fuit vel Apolline judice ſummus,
Cui vix aſſimilem terra nivoſa dabit;
Illi ſic dederat florentem ſvada leporem,
Floret ut in pingvi Delia Laurus humo
Sic erat antiqvis docte verſatus in odis,
Cum matre Evandri poſſet ut ipſe loqvi.
Ille mori potuit, nomen laudabile at ejus
Credibile eſt nullo tempore poſſe mori.




SOMNIUM PARABOLICUM.

Sunt qvi bus & mendax phantaſma, & inane putatur
Qvicqvid in obſcura ſpectatur imagine noctis:
Plurima ſunt, fateor, non omnia ſomnia vana,
Exemplum fidei faciendæ adducitur ergo,
Qvod mihi contigerat qvondam juvenilibus annis,
Et referam paucis non immemorabile verbis.

Ut ſemel impoſui tepido defeſſa labore
Membra toro, vigili cura fugiente ſoporem,
Ecce mihi videor montem conſcendere in altum,
Unde patens circum circa conſpectus horizon,
Qvi mediam ſphæram velut æqvo limite gyrus
Dividit, ut notum eſt, & viſum terminat omnem:
Nox ſubluſtris erat, ſiluit Tithonia conjux;
Attamen immenſus rutilo flagrabat olympus
Lumine ſtellarum; ſed inenarrabile qvantum
Lumine diverſo, cev plumbum diſtat ab auro:
Stellæ aliæ nullos radios ſparſere coruſcos,
Qvædam ſat claros; reliqvas fulgore venuſto
Vicere innumeras binæ, o! pater orbis & ævi!
Harum qvis decor & qvis ſplendor gratia qvanta!
Hæc ne eſt Eous nonne illa eſt Cynthius ipſe
Dicebam; calida & qvot nunc ſuſpiria fudi,
Vota qvot emiſi, tam læta videre liceret,
Dum mea pulſaret vitalis pectora ſangvis;

Et




Et ſpes blanda ſatis, reſoluta in gaudia mente
Præſagire mihi viſa eſt felicia qvæqve;
Hæc vacuam tacite præſumta ſuſurrat in aurem:
Qvæ tibi conſpectæ ſigna ut ſplendentia binæ,
Atqve ſuper multas radiabant luminæ ſtellæ,
Hæ tua ſunt ambæ felicia ſidera, dixit,
Hæ tibi jucundæ comites, hæ ſunt tua vitæ
Intima dulcedo: nam ſi qvæ forte doloris
Obducat nimium rigidi vis turbida fati,
Nubila diſpellent, & lætis lætius addent,
Hæc tibi ſplendebunt ad ſeram ſidera mortem.

Siſtite jam tandem, deſiſtite mentis inanes
Motus; hev qvantum me ſors maleſida fefellit,
Hæ ſpes fallaces fuerant, hæc gaudia cæca:
O! fortuna fugax nimiumqve volubilis, o! tu,
Triſtia qvæ rebus ſolita es miſcere ſecundis,
Qvos mihi feciſti ludos! qvæ verba dediſti!
Momento ſtellæ tam fauſtæ & prorſus amænæ
Evaneſcebant propere; vix altera ſeptem
Altera ter qvinis ſaltem mihi viſa minutis.
Primo nigra nimis nubes obduxit utramqve,
Idqve ſecuturæ cladis fuit ipſius omen:
Pallebat poſthæc facies lectiſſima, tanqvam
Herba ſolet brumæ glaciali frigore tacta,
Aut flos qvem morſu fœdavit lubricus angvis,
Aut qvis prægelidas ducendus mortis ad aras;
Deliqvium tandem paſſæ lethaliter ambæ,
Præcipiti curſu terram ſubiere rotundam.

Qvid

Qvid facerem? gemitus, lessus, lamenta, qverelæ,
Nil mihi profuerant; sæpe ingeminare videbar,
Hev mihi! qvando meos illimes gaudia sensus
Jam repetent? mihi qvando recens splendebit Apollo?
Qvo fugitis charæ? vos o! mea lumina qvorsum
Ibatis? vos o! mea deliciosa voluptas.

Conticui, modo vox allabitur auribus illa
Blanda satis, sed blanda magis, qvod tum mihi visa est,
Svavior humana, cælo demissa sereno;
Jussit & hæc placide mæstos compescere luctus;
Qvid juvat, inqvit, enim pectus macerare dolore,
Qvid juvat amissas lacrymis perqvirere stellas?
Nostin', qvod duri sint ferrea vincula fati,
Qvodqve hominum nulli licuit producere telam,
Qvam semel abrupit Parcarum mortifer ensis:
Sunt sane hæc alio tua fulgida sidera missa,
Non amissa tamen, non perdita, condita saltem,
Amplius haud eqvidem coelo cernuntur in illo,
Sideribus variis vestrum qvi illuminat orbem,
Non minus in coelo fulgent meliore, nec ullos
Præterea raptæ lucis passura labores;
Occidit ad tempus, sed non intercidit illud
Sidus utrumqve tuum, vivet post funera fama:
Qvod super est tibi sunt oritura hæc lumina tandem,
Ortu qvem posthac occasus nullus in ævum



Excipiet: qvam læta dies, qvam lata voluptas,
Qvando ſecurus damni conjungeris illis,
Atqve ſimul dabitur celebres cantare triumphos.

Dixit, & ad verba hæc cæperunt ultima ſenſus
Evigilare mei, pulſa vertigine ſomni.



